

Dat. die 4.  
Sept. 1765 An-  
no VIII.

CDLXXXVI.

Capitulo Cathedralis Osnabrugensis, gratulatur, quod absolutum fuerit ab incuris censuris ob postulatam A catholicum hominem in Episcopum Osnabrugensem.

Dilectis Filiis Præposito, Decano, Seniori cæterisque Capitularibus Ecclesiæ Cathedralis Osnabrugensis,

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii Nostri salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Venerabilem fratrem Cæsarem Albericum Archiepiscopum Nicænum, facultate a Nobis accepta, admissis vobis vinculum censurarum, quibus a die xxvii. Februarii superioris anni propter postulationem vestram A catholici hominis in Episcopum Osnabrugensem, adstrigebamini, e literis vestris die elapsi Julii tricesima datis perlibenter accepimus. Nunc vero sic unusquisque vestrum oportet se ita in posterum gerat, ut in omnibus actionibus vestris summa Catholicæ Religionis cura vestra et zelus appareat. Sic enim dilecti filii Sancta Mater Ecclesia non exiguam consolationem capiet, cum vos viderit Christianæ pietatis studio flagrantem id studere, ut illius dolor ex Westphalicis pactionibus susceptus vitæ vestræ sanctimonia et exemplo aliqua ex parte leniatur; Nostramque demerebimur majorem in dies Apostolicam gratiam, quam re ipsa vobis præstare magnopere cupimus. Vobis interea dilecti filii in ejusdem Ecclesiæ gratiam magna animi Nostri jucunditate redactis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die iv. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.



CDLXXXVII.

Dat. die 9.  
Sept. 1765.  
Anno VII.

De confirmato nuper Instituto Societatis Jesu agit cum Episcopo Orthonensi, et Caplensi.

Vide Epistolam supra relatam sub num. CDLXXXIV et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri M. Antonio Episcopo Orthonensi, et Caplensi

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem

§. 1. Accepimus literas Fratemitatis tuæ, in quibus mirifice amavimus egregium erga Nos animum tuum, et in hanc Sacram B. Petri Sedem obsequium et studium: intelleximus enim quanta te lætitia perfunderet Nostra Constitutio qua laudando confirmandoque Societatis Jesu Instituto, non tam ipsam Societatem, quam Apostolicæ Sedis in Ecclesiæ universæ judicium defendimus. Deum oremus Venerabilis Frater, ut os eorum occludat, qui toti ex impudentia mendaciisque compositi excusso omni timore Dei, et maledicentiæ suæ muniti præsidio, effrenatæ denique linguæ suæ tantummodo præsidentes nunc dominari videntur in populo: qui dixerunt: linguam nostram magnificavimus, labia nostra a Nobis sunt; quis noster est Dominus? Illud autem interea non mediocrem Nobis affert consolationem, quod tuæ plurimorumque Venerabilium Fratrum Episcoporum literæ Nobis attulerunt in Apostolicis laboribus perferendis alacritatem Clericorum Regularium memoratæ Societatis Jesu non relanguescere, neque excitandæ in populis Christianæ pietatis flagrantia in eandem Societatem studia refrigerari. Pro qua sanctificandarum animarum cupidissima eorum voluntate, futurum speramus, ut Deus aliquando illos abscondat in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum, protegatque in Tabernaculo suo a contradictione linguarum. Et fraternitati tuæ non vulgaris erga te benevolentia Nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ sub annulo piscatoris apud Sanctam Mariam Majorem. Die ix. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. die 9 Sep-  
tembr. 1765  
Anno VIII.

CDLXXXVIII.

De eodem argumento scribit Episcopo  
Massæ Lubrensis

*Vide Epistolam superiorem.*

Venerabili Fratri Josepho Episcopo  
Massæ Lubrensis

Clemens PP. XIII.

§. 1. **G**ratulatio tua de Constitu-  
tione Nostra, qua Institutum Societa-  
tis Jesu denuo confirmavimus, eo fuit  
Nobis jucundior, quod testimonium ha-  
bet adjunctum de egregia in Nos, et hanc  
Sacram B. Petri Sedem voluntate plu-  
rimorum Venerabilium Fratrum Regni  
istius Episcoporum, et ex inferiori or-  
dine rectorum Christiani populi, quos  
Constitutionem illam scribis libentissime  
excepisse, atque ea de re gratum erga  
Nos animum gerere; quidquid vero dis-  
tincte et particulatim narras isthic apud  
vos præstare Clericos Regulares me-  
moratæ Societatis, magno cum Christia-  
næ rei emolumento, gratum Nobis fuit  
majorem in modum: id enim omne ex  
eodem fonte virtutis veræque pietatis  
proficisci cognoscimus, quibus adducti  
eamdem Societatem defendendam sus-  
cepimus. Quod ex isto Societatis Col-  
legio superiori anno ad alendos non mo-  
do pauperes et egenos, sed etiam Ci-  
ves in summa Annonæ difficultate rei-  
que frumentariæ omniumque frugum  
inopia, tantum panis et absonii scribisese  
depromptum, ut iisdem Clericis Regulari-  
bus ista Civitas ferat acceptum quod ma-  
gna vis hominum fame non interierit,  
id palam facit, eos vere Christi esse  
amantes. Qui enim habuerit substan-  
tiam hujus mundi, et viderit fratrem  
suum necessitatem habere, et clauserit  
viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei  
manet in eo! sane ita factum oportuit.  
Sic enim est voluntas Dei, ut benefi-  
cientes obmutescere faciant impruden-  
tium hominum ignorantiam. Interea cum  
modestia et timore, conscientiam ha-  
bentes bonam, boni esse pergant ac cu-  
mulatores, ut in eo, quod illis detra-  
hant, confundantur eorum bonam in  
Christo conversationem. Eos denique  
Fraternitati tuæ volumus esse commen-  
datissimos. Tibique Venerabilis Frater  
eximie erga te benevolentie Nostræ  
pignus, Apostolicam benedictionem pe-  
ramanter impertimur. Datum Romæ  
apud S. Mariam Majorem sub Annulo

Piscatoris die IX. Septembris MDCCLXV  
Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDLXXXIX.

Dat. die 11.  
Sept. 1765.  
Anno VII.

Ignatius Gioar Patriarcatus Antiocheni  
invasor excommunicationis pœna ple-  
ctiur.

*Electionem hujus Patriarchæ intrusi  
alias nulliter ab Antistitibus Na-  
tionis Græco-Melchitæ factam cas-  
savit, et annullavit Pontifex hic per  
litteras Anni 1760 Augusti 1, relatas  
hujus continuationis Tom. II. sub  
Num. CLVII. pag. 5. Archiepiscopos,  
et Episcopos hujus Nationis ad con-  
cordiam, et pacem, nec non obser-  
vantiam erga legitimum Patriarcham  
a S. Sede institutum hortatus est Pon-  
tifex idem per litteras anni 1764 Ju-  
lii 23 relatas hoc Tom. III. sub Nu-  
mer. CDXXI. pag. 1.*

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Ar-  
chiepiscopis, Episcopis, nec non di-  
lectis Filiis et Clero Sæculari, et Re-  
gulari, et Populo Catholico Nationis  
Græco-Melchitæ.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres, et dilecti filii salutem  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. **I**nter plurimas, quibus di-  
strigimur curas in hoc supremi Aposto-  
latur officio divinitus Nobis, licet im-  
merentibus, demandato, non mediocre  
quidem ex eo solatium capiebamus,  
quod Natio vestra Catholica, gravissimis  
perfuncta discordiis, in pacem denique,  
et spiritus unitatem coaluisset, ac legi-  
timo suo Patriarchæ Theodosio a No-  
bis confirmato debitum filialis obedi-  
entiæ obsequium, nemine prorsus repu-  
gnante, tribuisset.

§. 2. Verum Ignatius Gioar Eccle-  
siæ Sidoniensis Episcopus, qui et antea  
Patriarchatum Antiochenum illicite, et  
contra Canonicas sanctiones occupave-  
rat, hanc Nobis inopinato consolationem  
eripuit, et vos iterum in sævas et de-  
plorabiles dissensionum procellas con-  
jecit. Siquidem homo subdolos, et vana  
arrogantia tumidus, non judicium ve-  
ritus Sedis Apostolicæ, aut sententiam  
a Nobismetipsis prævio maturo exa-  
mine solemniter pronunciatam; neque

Suum gaudium  
patefacit Pon-  
tifex pro resti-  
tuta tranqui-  
litate nationis  
Græco Melchi-  
tæ.

Quod sane gau-  
dium intermis-  
sum fuit arbi-  
traria Ignatii  
Gioar Patriar-  
chalis Antio-  
chenæ dignita-  
tis occupatione

benignitate Nostra delinitus, qua tamquam filius prodigus, et humaniter fuit acceptus, et nova stola coopertus, fidem verbis et scripto præstitam, ac bis etiam juramento firmatam de Patriarchale dignitate non ulterius ambienda, et Venerabili Fratre Thodosio in suum et Nationis caput agnoscendo per summum scelus perfidissime violavit et fregit; vœsanæque stimulante ambitione et effrenata dominandi libidine, nihil animæ suæ, nihil Gregis universum interitum pertimescens, nullum, non lapidem movit, ut Cathedram Patriarchalem contra omne jus fasque denuo invaderet, et sacrilegam de se renovari electionem curaret quemodmodum per nonnullos, quos habet sceleris sui socios et adjuutores jam factum intelligimus, ac vobis omnibus luce clarius est manifestum.

Pontifex Ignatii electionem præscribit, eundemque, et illius electores excommunicatos vitandos declarat.

§. 3. Quo tam diro ac nefario scelere in publicam vulgi famam deducto, ac Nobis renunciato, haud potuimus ex intima cordis Nostri amaritudine non ingemiscere cernentes hoc ausu temerario non solum leges humanas, et divinas proculcari, sed in domum Dei etiam induci gravissimum scandalum cum ingenti animarum et fidei Orthodoxæ periculo. Ut igitur ingravescenti huic malo validis opportunisque remediis occurramus, primum tenore præsentium decernimus, et declaramus, novam electionem Ignatii Gioar Episcopi Sidonieasis sub die v. Februarii vertentis anni, seu alio veriori tempore factam, notorie esse nullam, illicitam, sacrilegam, schismaticam, et contra Sedis Apostolicæ, et sacrorum Canonum sanctiones nefarie attentatam; deinde ipsum Ignatium, nec non Episcopos, et cæteros omnes, qui operam, consilium, auxilium, incitamentum huic execrando, atque undique notorio facinori quomodocumque præbuerunt, in majorem excommunicationem latæ sententiæ huic Sedi Apostolicæ reservatam manifesto incidisse, statnimus, et pronunciamus; et proinde pro excommunicatis anathematizatis, et ab Ecclesiæ Catholicæ sinu separatis, et solemniter segregatis eisdem ab omnibus haberi volumus, et jubemus.

Ignatio, ejusque factoribus Episcopalis, et Sacerdotalis dignitatis exercitium interdicit, et quamlibet cum illis spiritualem communicationem prohibet.

§. 4. Mandantes præterea, districtèque prohibentes tam prædicto Ignatio, quam Episcopis illi adhærentibus, ne ullo pacto aut Chrisma conficere, aut Clericos ordinare, aut Virgines consecrare, aut alia quælibet Episcopalis, et Sacerdotalis Ordinis munera exercere andeant, donec sincera

pœnitentia ducti respiciant, et necessariam absolutionem a præfatis censuris Nobis tantummodo reservatam obtineant. Vobis autem Ven. Fratres, et dilecti filii quotquot Clerum et populum Græco-Melchitam constituitis, et Fidem Catholicam profiteremini, serio injungimus et vetamus sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrendæ, et Nobis, ac S. Sedi reservatæ, ne unquam Ignatium pro Ecclesiæ vestræ Antiochenæ Patriarcha habeatis, neve cum eodem, sive cum ejus factoribus, et nefariæ electionis complicibus ullo modo, et præsertim in Divinis communicetis, aut ab ipsis, cujuscumque sint gradus et dignitatis, Sacramenta et Ordines accipiatis.

§. 5. Noverint quippe omnes, qui deinceps Ordinibus vel ab ipso Ignatio, vel ab aliis quibuscumque, uti superius declaravimus, anathemate percussis initiati fuerint, suspensionis se vinculo adstrictos, atque irregularitati præterea obnoxios fore, si contra jus fasque susceptos Ordines exercere præsumserint. Reliquum est, ut sollicitudini et curæ, qua pro paterno erga vos singulos et universam gentem vestram flagrantissimo amore Nostro, de æterna omnium vestrum salute suscepimus, omnia quoque fidei vestræ et obedientiæ studia et officia respondeant, ita ut unquam a recto tramite declinetis, neque eorum vocibus aurem præbeatis, qui in Ovile Dominicum non per ostium quod Christus est, sed aliunde per vim et scelus irrumpere conantur. Misere namque, ac prope incredibilis esset cæcitatatis, si propter insana molimina unius hominis ambitione æstuantis, et Dei Ecclesiam lacerare haud timentis, spem vestræ felicitatis æternæ in discrimen vocare et animarum jacturam facere preoptaretis, ac vobis tandem Venerabiles Fratres, et dilecti Filii Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die undecima Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Obedientes Episcopos obsecrat ut in fide, et observantia eiga S. Sedem persistant.



Dat. die 1 Sept.  
1765 An. VIII.

CDXC.

Temporali in Græco-Melchitas Principi excommunicationem Patriarchæ intrusi participat, ejusque requirit auxilium favore legitimi Patriarchæ a Sancta Sede instituti.

*Vide literas excommunicationis superiori numero relatas.*

Nobili, ac Potenti Viro Ali Gemblat

Clemens PP. XIII.

Nobilis, et Potens Vir salutem, et lumen Divinæ gratiæ

Quæ contra intrusum Patriarcham a S. Sede gesta sunt exponit.

§. 1. **C**ompositis rebus Patriarchatus Antiocheni, atque omni e medio controversia sublata, quæ populum Græco-Melchitam huic Sedi Apostolicæ unitum in partes distraxerat, nullum amplius dissentionibus, et concertationibus locum relictum esse putavimus. Verum opinionem hanc Nostram statim ex improvise fefellit Ignatius Giar Episcopus Sidoniensis, qui nefaria percitus ambitione in Pseudo-Patriarcham se rursus et erigere, flagitiosissimum schisma renovare non dubitavit, nihil veritus perfidiæ culpam, qui de Patriarchale dignitate non amplius ambienda fidem verbo datam et scripto, atque etiam juramento sancte firmatam impudentissime frangeret. Itaque audito detestabili ejusmodi scelere vehementer commoti sumus, eamque rationem ineundam existimavimus, qua hominis amentis retundatur audacia iique omnes coercantur, quos sui furoris socios habet et adjuutores. Quomobrem anathematis pœna districtos, et a cœtu fidelium separatos tum memoratum Ignatium, tum ejus socios, fautores, atque electionis complices pro auctoritate Nostra declaravimus; mandantes insuper omnibus et singulis Græco-Melchitis, qui Romanæ Ecclesiæ fidem Orthodoxam sectantur, ut ab eorumdem consortio abstineant, et vero legitimoque Patriarchæ Ven. Fratri Theodosio solummodo adhæreant.

Potentis hujus Principis auxilium requirit contra intrusum Patriarcham, et favore alterius a S. Sede instituti.

§. 2. Sed cum ejusmodi mandatis implendis auctoritas tua, Nobilis et Potens Vir, maximum momentum possit afferre, propterea enixe rogamus, ut legitimo Patriarchæ Theodosio præpotenti ope tua adesse velis, atque omni studio prohibere, ne pseudo-Patriarcha Ignatius vel ejus juribus noceat, vel po-

puli tranquillitatem, et pacem perturbare præsumat. Quod ut confidimus te libenter facturum pro tua summa humanitate, studioque justitiæ, quam te novimus colere magna tui cum laude, ita operam Nostram pollicemur in rebus omnibus, quas tibi gratas acceptasque fore sciemus. Atque interim tibi a Cœlesti Patre luminum veræ felicitatis agnitionem adeptionemque precamur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorum sub Annulo piscatoris die XI. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXC.

Dat. die 21 Sept.  
1765. An.  
no VIII.

Super observantia Jejunii peculiare declarationes præbentur pro Christifidelibus in Indiis comorantibus, et quæ hac de re alias evulgatæ fuere Apostolicæ Constitutiones memoriæ revocantur, illarumque observantia præscribitur.

Clemens Episcopus  
Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **U**niversalis Ecclesiæ cura ab Omnipotenti Deo, qui mirabili dispositione infirma eligit, humilitati Nostræ commissa, inter cætera Officii Nostri munera exigit præcipue, ut ad remotissimas Catholici Orbis regiones, earumque Præsules in partem sollicitudinis Nostræ vocatos aliquando conversi, eos in exequendo pastoralis debito confirmaremus, animumque illic addamus, et robur, ut ipsi subditos fideles omni doctrina, qua eos ad æternam salutem informari oportet, plene instruant, et ea, quæ ab Apostolica Sede circa Ecclesiasticorum præceptorum observantiam prodire judicium, illis annuntiari sedulo studeant.

Proemium.

§. 2. Nuper siquidem dilectus filius Magister Thomas Azpuru unus ex Auditorii Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditoribus, et Cappellanus Familiarisque Noster, carissimi in Christo Filii Nostri Karoli Hispaniarum Indiarumque Regis Catholici nomine Nobis exposuit, eas canonicas sanctiones, et declarationes adversus abusum, qui circa jejunii Quadragesimalis observantiam irreperant, ac super ipsius jejunii disciplina conservanda, et dispen-

Preces porrecte ad hoc et præcedenter evulgatæ Constitutiones super jejunii observantia, etiam in Indiarum Regionibus ex Sanctæ Sedis jussu publici juris sunt

sationibus concedendis, earumque usu ab Apostolica Sede hactenus editas in amplissimis Indiarum illi subjectarum partibus minime fuisse publicatas, valdeque optabile fore, ut illas in ordinem redactas, novis Nostris complecteremur literis, quæque alias ex urgentibus causis ab Apostolica Sede elargita fuit, parem dispensandi facultatem in Regione itidem sibi subjecta concederemus, atque iostaurarem pariter, ut quemadmodum a prædecessoribus Nostris demandatum fuit verbi Dei Concionatores, Animarumque Rectores palam in Ecclesiis Christianam Doctrinam edocent, et Evangelicæ veritatis institutiones explicant.

§. 3. Quare Nos, qui Religiosi, piique Regis admirabilem erga subditas sibi gentes vigilantiam, et zelum summum, laudibus merito prosequi non desistimus, nulla interposita mora, et illius petitioni, et supremi Nostris Pontificatus muneri plene, cumulateque ducimus satisfaciendum. Et quoniam felicis Record. Benedictus Papa XIV immediatus prædecessor Noster ab sui Pontificatus primordio, et subinde juxta opportunitates, tribus suis literis, quarum duæ encyclicæ sunt, nedum abusibus adversus jejunii quadragesimalis observationem invectis providere satagit, verum etiam aliqua dubia tum circa unicam diebus jejunii comestionem ab omnibus iis etiam, quibus ob justas causas esus carniæ, et ovorum permissus foret, servandam, tum super debito non commiscendi epulas declaravit, Nosque pariter per similes Nostras literas alias obortas prævaricationes eliminare curavimus. Cum in eis abunde proscriptis abusibus Catholicæ Ecclesiæ tradatur disciplina, dubitationesque sublatae comperiantur, satius esse arbitramur literas easdem hisce novis inserere = Tenor priorum literarum Benedicti XIV talis est videlicet = Venerabilibus Fratribus, Patriarchis Primatibus Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis Universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentibus Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem = Non ambigimus Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis cultoribus notum sit, a tota per Christianum orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale jejunium, quod olim in lege, et Prophetis primitus adum-

bratum, ipsius Domini Nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a Sacris Canonibus ubique præscriptum, et ab Universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres Nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio per consortium Crucis Christi, Nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter Nos præstitit, agimus, simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis Nostræ Mytheria, quæ per Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis memoriam quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur purificatis jejuniis corporibus, et animis, dignius paramur; hac veluti Nostræ Militiæ tessera ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella Divinæ ultionis avertimur, et Cælesti præsidio in dies adversus Principes tenebrarum munimur; hoc despectui habito non contemnendum Divinæ gloriæ detrimentum, non læve Catholicæ Religionis dedecus, nec dubium animabus Christifidelium periculum oboritur; nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis et privatis cladem, exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita, inherentique in omnium Catholicorum hominum animis, de sacratissima quadragesima, aliisque diebus jejuniis consecratis, persuasione, et reverentia, quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa jejuniorum institutione, et servata semper ubique, et ab omnibus disciplina, quam longissime distet, vos Venerabiles Fratres qui Populorum curæ vestræ commissorum mores, et usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra præ cæteris claris intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicæ procuratoris specula constitutis, undique gentium nuncii afferuntur, lacrymis satius deplorare non possumus, angustissimam Quadragesimalis jejunii observantiam, ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublata esse, itaut Orthodoxæ quidem Religionis cultores merito quærantur, hæresum vero sectatores illudant, et exultent. Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus, quæ usque adeo in-

Pontifex præcedentes Apostolicas Constitutiones, præsentibus inseri jubet, ut una cum hisce legem faciant.

Teoor literarum Benedicti XIV. diei 3o Maii 1741.

„ valuit, ut nulla Apostolici Instituti,  
 „ sacratissimique præcepti habita rati-  
 „ one, jejuniorum tempore palam,  
 „ et impune ab iisdem agitentur con-  
 „ vivia, et epulæ interdictæ promiscue  
 „ inferantur. Ea propter quemadmo-  
 „ dum quibus curis, sollicitudinibus,  
 „ et angoribus urgeamur cum Frater-  
 „ nitatibus vestris communicamus, ita  
 „ facere non possumus quin pro injun-  
 „ cto Nobis supremo Sacrosancti Apo-  
 „ stolatus officio, et ardentissimum Fra-  
 „ ternitatumstrarum zelum ad op-  
 „ portunum hisce malis adhibendum  
 „ remedium excitemus, et ad con-  
 „ gruentes, hujusmodi abusibus peni-  
 „ tus extirpandis, leges præscribendas  
 „ meditemur. Interea Venerabiles Fra-  
 „ tres, gaudium, et corona Nostra, No-  
 „ biscum considerantes, nihil Deo ac-  
 „ ceptius, nihil pastorali ministerio No-  
 „ stro dignius, nihil gregibus curæ  
 „ Nostræ commissis utilius, quam ut  
 „ verbo, et exemplo præeuntes Chri-  
 „ stifideles ad tam salutarem Christia-  
 „ næ pœnitentiæ, et pietatis exercita-  
 „ tionem alacrius suscipiendam, con-  
 „ stantissime retinendam, et ea, qua  
 „ instituta fuit disciplina peragendam  
 „ vehementius inflammemus omni ope-  
 „ ra, atque industria studeamus, ut fi-  
 „ deles populi in conspectu Dei per  
 „ austeriorem jejuniorum observantiam  
 „ tales permaneant, quales in ipso Pa-  
 „ schali festo dignum est, inveniri. De-  
 „ bitum igitur paternæ uniuscujusque  
 „ vestrum sedulitatis, et charitatis of-  
 „ ficium jure postulat, ut omnibus  
 „ notum faciatis, et annuncietis, ne-  
 „ mini quidem sine legitima causa,  
 „ et de utriusque Medici consilio, mul-  
 „ titudini vero veluti populo, aut Civi-  
 „ tati, aut genti, indiscriminatim inte-  
 „ gre non nisi gravissima, et urgente  
 „ necessitate, et in casibus per sacra  
 „ Canonum statuta præscriptis, cum de-  
 „ bita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis  
 „ reverentia, a quadragesimali jejunio  
 „ dispensationem toties, quoties opus  
 „ fuerit, concedendam, nec audacter,  
 „ fidenterque usurpandam, nec super-  
 „ be, et arroganter ab Ecclesia, sicut  
 „ alicubi in more positum esse acce-  
 „ pimus, esse postulandam. Gravissi-  
 „ mam vero, urgentemque necessita-  
 „ tem etsi non est cur vobis explicemus,  
 „ nolumus tamen, vel ignorare  
 „ cum hujusmodi necessitate, et ser-  
 „ vandam esse potissimum unicam com-  
 „ mestionem, sicut alias hic Romæ,  
 „ ac Nos ipsi hoc anno urgentibus cau-  
 „ sis dispensantes expresse præscripsi-

„ mus, et licitas, atque interdictas  
 „ epulas promiscue minime apponendas  
 „ esse. Porro quemadmodum de ejus-  
 „ modi indulgentia tam caute imper-  
 „ tienda, si secus fieret, Nos persua-  
 „ sum habemus districtam Supremo  
 „ Divino Judici redditum iri rationem  
 „ ita conscientiam uniuscujusque ve-  
 „ strum onerandam esse ducimus; in-  
 „ simulque Fraternalitates vestras roga-  
 „ mus, et in Domino exhortantes obse-  
 „ cramus, ut populos, qui commu-  
 „ nem omnium Christifidelium pœni-  
 „ tentiam, ac disciplinam servare ne-  
 „ queant commonere satagatis, ne per  
 „ alia pietatis opera, ut sua cuique  
 „ devotio suggeret peccata sua expiare  
 „ et Deo satisfacere negligant, quini-  
 „ mo sanandis vulneribus, quibus hu-  
 „ mana infirmitas sauciatur, diligen-  
 „ tem adhibere studeant curationem,  
 „ ut culpas de mundano pulvere con-  
 „ tractas dum casta jejunia decoquere  
 „ non possunt, pia opera, orationum suf-  
 „ fragia, et eleemosynæ munera redi-  
 „ mant. Interim solatium, et levamen  
 „ non læve mœrori Nostro a pastorali  
 „ vigilantia, et charitate vestra præsto-  
 „ lantes, ac certo Nobis pollicentes, Apo-  
 „ stolicam benedictionem cum ubere  
 „ cœlestium charismatum copia con-  
 „ junctam in eosdem populos vestros  
 „ redundaturam vobis, Venerabiles  
 „ Fratres peramanter imperitumur. Vo-  
 „ lumus autem, ut præsentium tran-  
 „ sumptis, sive exemplis, etiam im-  
 „ pressis manu alicujus Notarii publici  
 „ subscriptis, et sigillo personæ in di-  
 „ gnitate Ecclesiastica constitutæ mu-  
 „ nitis, eadem prorsus ubique fides  
 „ adhibeatur, quæ præsentibus adhi-  
 „ beretur, et adhiberi posset, si forent  
 „ exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ  
 „ apud Sanctam Mariam Majorem sub  
 „ Annulo Piscatoris die trigesima Men-  
 „ sis Maii Millesimo Septingentesimo  
 „ Quadragesimo Primo, Pontificatus No-  
 „ stro anno primo = *Sequuntur secun-  
 „ dæ literæ.*

„ Venerabilibus Fratribus Patriar-  
 „ chis, Primatibus, Metropolitanis, Ar-  
 „ chiefiscopis, et Episcopis universis  
 „ gratiam, et comunem Sedis Aposto-  
 „ licæ habentibus = Benedictus Papa XIV  
 „ Venerabiles Fratres salutem, et Apo-  
 „ stolicam benedictionem = In suprema  
 „ Universalis Ecclesiæ procuratore, me-  
 „ ritis licet imparibus, per ineffabilem  
 „ Divinæ bonitatis abundantiam, ut Or-  
 „ thodoxæ fidei assertores, sic etiam  
 „ Ecclesiasticæ disciplinæ custodes, ac  
 „ vindices constituti, quadragesimale

Tenor aliarum  
 literarum Be-  
 nedicti XIV.  
 die 22. Augu-  
 sti 1741.



„ præsertim jejunium quod inter præ-  
 „ cipua Orthodoxæ disciplinæ capita  
 „ semper, et ubique ab ipso Ecclesiæ  
 „ exordio numeratum esse nemo ex Catho-  
 „ licis inficiatur ab hodierna jeju-  
 „ nantium corruptela vindicare, et in  
 „ pristinam quantum benedicente Do-  
 „ mino fieri possit observantiam revo-  
 „ care, cupientes per alias Nostras in si-  
 „ mili forma Brevis literas ad Frater-  
 „ nitates vestras die xxx. proxime elap-  
 „ si mensis Maii currentis Anni da-  
 „ tas, eximium Fraternitatum vestra-  
 „ rum zelum excitandum curavimus,  
 „ ut adlaborare studeretis, ne in hac  
 „ parte, et optatum Apostolicæ Nostræ  
 „ sollicitudinis angribus levamen, et sa-  
 „ lutare abolendæ sacratissimi jejunii  
 „ corruptelæ remedium deesset. Quo-  
 „ niam autem paternæ Pontificiæ chari-  
 „ tatis, qua novit imbecillitates infir-  
 „ morum substinere, atque etiam cum  
 „ infirmantibus infirmari, non imme-  
 „ mores quemadmodum a jejunio ali-  
 „ quando legitima causa, aut gravissi-  
 „ ma, urgentique necessitate exigente  
 „ dispensandum esse ex Apostolica be-  
 „ nignitate censuimus, ita inter cæte-  
 „ ra præscripsimus unicam, comestio-  
 „ nem servandam, et licitas atque in-  
 „ terdictas epulas minime esse apponen-  
 „ das. Hinc factum esse accepimus,  
 „ quod non defuerint, qui per huma-  
 „ nas, et hominibus a Christiana pœni-  
 „ tentia dumtaxat abhorrentibus, dum-  
 „ taxat dignas illationes sibi, aliisque  
 „ persuadeant, unicam potissimum com-  
 „ estionem servari, atque epulas li-  
 „ citas, et interdictas minime apponi  
 „ debere, quum multitudini quidem  
 „ indiscriminatim ob urgentem, gra-  
 „ vissimamque necessitatem, non vero  
 „ singulis ob legitimam causam, et de  
 „ utriusque Medici consilio dispensatur,  
 „ quam sane persuasionem a senten-  
 „ tia Nostra alienam, ut ex omnium  
 „ animis penitus evellamus, Nos qui-  
 „ buscumque, quacumque occasione, si-  
 „ ve multitudini indiscriminatim ob ur-  
 „ gentem, gravissimamque necessitatem,  
 „ sive singulis ob legitimam causam,  
 „ et de utriusque medici consilio, dum-  
 „ modo nulla certa, et periculosa affec-  
 „ tæ valetudinis ratio intercedat, et  
 „ aliter fieri necessario exigat, in qua-  
 „ dragesimæ, aliisque anni temporibus,  
 „ et diebus, quibus carniū, ovorum,  
 „ et lacticiniorum esus est prohibitus,  
 „ dispensari contigerit ab omnibus om-  
 „ nino, nemine excepto, unicam com-  
 „ estionem servandam, et illicitas,  
 „ atque interdictas epulas minime esse

„ apponendas, tenore præsentium de-  
 „ claramus, et edicimus; quemadmo-  
 „ dum per singulas Nostras in pari for-  
 „ ma Brevis literas singulis utriusque  
 „ sexus Christifidelibus ob corporis in-  
 „ firmitates, quibus obnoxii reperiun-  
 „ tur in sacratissima Quadragesima,  
 „ aliisque jejunio consecratis diebus ve-  
 „ scendi prohibitis, licentiam dantes  
 „ unicuique expresse præscribimus, at-  
 „ que præcipimus, eapropter Frater-  
 „ nitates vestras rogamus, atque in  
 „ Domino obsecramus, ut populos ve-  
 „ stræ curæ commissos ad tam oppor-  
 „ tunum sanandis vulneribus, quibus  
 „ per humanam infirmitatem quisque  
 „ sauciatur, sanctissimi jejunii reme-  
 „ dium alacriter adhibendum cohortan-  
 „ tes, sedulo, ac paterne moneatis, rem  
 „ agi non quidem exiguam, sed lon-  
 „ ge gravissimam de observando, su-  
 „ bstinendoque jejunio, purificandis ani-  
 „ mis, corporibusque salutari. In spem  
 „ igitur illos erigite cœlestium præmio-  
 „ rum quibus assequendis non sunt con-  
 „ diguæ passionis hujus temporis, imo  
 „ leve, ac momentaneum non tribu-  
 „ tionis, sed modicæ abstinentiæ no-  
 „ stræ incommodum, magnum gloriæ  
 „ pondus operatur in Cœlis, ab omni-  
 „ bus se abstinent, qui in agone con-  
 „ tendunt, ut corruptibilem coronam  
 „ accipiant, pudeat tam imbelles, ac  
 „ delicatos Christianæ Militiæ Milites  
 „ refugientes a consortio Crucis Christi,  
 „ qui Coronam legitime certantibus pro-  
 „ positam sperare præcepit incorruptam:  
 „ ad cuius auspiciū, et pignus Fra-  
 „ ternitatibus vestris Apostolicam bene-  
 „ dictionem iisdem etiam populis ves-  
 „ tris Nostro nomine, impertiendam per-  
 „ manenter elargimur. Volumus autem,  
 „ ut præsentium transumptis sive exem-  
 „ plis etiam impressis manu, alicujus  
 „ Notarii publici subscriptis, et sigil-  
 „ lo personæ in Ecclesiastica dignita-  
 „ te constitutæ munitis eadem prorsus  
 „ ubique fides adhibeatur, quæ præ-  
 „ sentibus adhiberetur, et adhiberi pos-  
 „ set si forent exhibitæ, vel ostensæ:  
 „ Datum Romæ apud Sanctam Ma-  
 „ riam Majorem sub Annulo Piscatoris  
 „ die xxii. Mensis Augusti MDCCXLI.  
 „ Pontificatus Nostri Anno Secundo =  
 „ *Tertiæ demum sic se habent* =  
 „ Venerabili Fratri Archiepiscopo  
 „ Compostellæ Benedictus Papa XIV.  
 „ Venerabilis Frater salutem, et Apo-  
 „ stolicam benedictionem = Si Frater-  
 „ nitas tua secum reputabit quot gra-  
 „ vissimis, et maximis curis propemo-  
 „ dum obruamur, quantumque hoc præ-

Itemque alia  
 rum prælauda-  
 ti Benedicti  
 XIV. die 8 Ju-  
 lii 1744.

» sertim difficillimo tempore prorsus  
 » Nos teneat imposita tenuitati Nostræ  
 » sollicitudo omnium Ecelesiarum, non  
 » sane mirabitur tam diu sibi procrastinatum  
 » fuisse responsum ad eas literas quibus  
 » Apostolica auctoritate dissolvendas rogasti  
 » abortas in Hispania disputationes aliquas  
 » e duabus Nostris Epistolis ad omnes  
 » Episcopos superioris Anni MDCCXXI. xxx.  
 » Maii, et xxii. Augusti, quibus intra legitimos  
 » fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici  
 » jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem  
 » veniet cogitare de singulari Nostro in  
 » Religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore,  
 » unde Nos immensa licet rerum mole fatigatos,  
 » ad expediendum sibi in omni sua perplexitate  
 » salutis operam Nostram præsto habet; quamquam  
 » igitur dum prænunciatas Constitutiones edidimus  
 » non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrenare  
 » paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum  
 » licentiam, qui opinionum novitate gaudent,  
 » nec otium, nec animus Nobis fuerit definire  
 » quidquid subtili indagazione deduci possit ex  
 » præposita a Nobis jejunandi regula, tamen  
 » eximia paterna charitate complectimur adeo  
 » observantissimos Romanæ Sedis Hispanos,  
 » tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere  
 » anxietati vestræ libenter adjecerimus animum,  
 » et Nos ipsi quæstiones a te propositas  
 » dirimendas constituerimus. Sic autem se habent = I. Utrum  
 » quæ in antedictis Nostris literis in forma  
 » Brevis de unica comestione, et de epulis non  
 » permiscendis præscribuntur sub gravi etiam  
 » præcepto prohibeantur = Respondemus, concedentes  
 » facultatem vescendi carnibus tempore vetito,  
 » sub gravi teneri easdem facultates non aliter  
 » dare, quam geminis hisce adiectis conditionibus,  
 » videlicet unicæ in diem comestionis, et non  
 » permiscendarum epularum, eos vero, qui hujusmodi  
 » facultatibus utuntur sub gravi, ad binas ipsas  
 » conditiones implendas obligari = II. An si,  
 » quibus concessum est vesci carnibus, possint in  
 » vespertina refectingula ea quantitate carnis  
 » vesci, quæ jejunantibus permittitur = Respondemus  
 » non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti  
 » portione, quibus utuntur homines jejunantes  
 » rectæ meticolosæ conscientiæ = III. An qui  
 » jejunii tempore vesci carnibus permittuntur,  
 » et unica comestione uti debent, horam  
 » jejunantibus præscriptam

» servare opus habeant = Edicimus observandam  
 » iis esse = IV. Quænam sint epulæ licitæ,  
 » quæ vetantur cum interdictis conjungi =  
 » Respondemus, epulas licitas pro iis, quibus  
 » permiscendum est carnes comedere, esse  
 » carnes ipsas, epulas interdictas esse pisces,  
 » adeoque utrumque simul adhiberi non posse:  
 » piscibus tamen edendis non interdiciuntur  
 » ii, quibus datur tantum facultas adhibendi  
 » ova, et lactinia. V. An præceptum de utroque  
 » epularum non miscendo dici quoque, dominicos  
 » Quadresimales complectatur. Affirmatur  
 » complecti. VI. Utrum hæc lex ad eos quoque  
 » pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt  
 » ova, et lactinia. Rescribimus nihil in  
 » pronuntiatis Nostris literis Apostolicis  
 » statutum esse, quod respiciat gratiosum  
 » Cruciatæ diploma; quare qui eo gaudent,  
 » illius tenorem stricte, et considerate  
 » perpendant, ex ejusque sententia se gerant:  
 » caveant autem ne itani quapiam excusatione  
 » sese solutos esse arbitrentur præscriptis  
 » ibi legibus. VII. Utrum memorata duo  
 » præcepta urgeant extra Quadragesimam.  
 » Respondetur, urgere extra Quadragesimam  
 » utrumque præceptum illud scilicet unicæ  
 » comestionis cum reliquis legibus in secundo,  
 » et tertio ad hæc postulata responso expressis,  
 » et alterum non permiscendi epulas licitas  
 » cum interdictis, ut in quarto postulatu  
 » definitum est. Habes, Venerabilis Frater,  
 » penitus explicatum quidquid apud vos ex  
 » Nostris sæpius nuncupatis Apostolicis literis  
 » dubitationem attulisse scribis, quæ quidem  
 » in re laudavimus consilium tuum interrogandæ  
 » Supremæ Romanæ Sedis, ut libero, et non  
 » vacillanti gressu ad oves sana doctrina  
 » imbuendas incedere Pastores queant, in  
 » istoque tuo suscepto consilio agnovimus  
 » Hispanam Religionem nihil sibi tutum,  
 » nisi e Divi Petri Cathedra acceptum  
 » reputantem, qui splendidissima gloria  
 » tantum nomen, et incorruptæ fidei fructum  
 » Hispania sibi peperit. Cavendum autem  
 » vobis est, idque plurimum ad te pertinet,  
 » qui illustris Archiepiscopi, et Inquisitoris  
 » geris præcipuum munus, ne in expendendis  
 » Apostolicæ Sedis Constitutionibus, pro nimia  
 » exhausti argumenti sollicitudine, nullus  
 » fiat disserendi, ambigendique modus  
 » sedula deinde opera conferendo, ut istiusmodi  
 » dubia, quæ facile pro ingeniorum varietate  
 » disputando emer-



„ gunt , penitus inter vos dirimantur ,  
 „ ne diuturna unquam disceptatione flu-  
 „ ctuent animi , præsertim cum Consti-  
 „ tutiones ipsæ Apostolicæ , scopum ,  
 „ quo tendunt , aperte demonstrent ,  
 „ et illuc prompte dirigi potest quid-  
 „ quid dubitando interturbare videat-  
 „ tur. Id si animadvertissent , qui de  
 „ præsentī negotio plura dubitarunt ,  
 „ nodum sibi exsolvisent. Patebat enim  
 „ nihil aliud a Nobis in animo fuisse ,  
 „ quam cohibere avida nonnullorum  
 „ Theologorum ingenia , qui nimium  
 „ sacri jejunii fines prætergressi , et non  
 „ parum oblitī ad retinendum in officio  
 „ corpus divinitus institutum hosti  
 „ huic , spiritus infensissimo , blandie-  
 „ bantur. Statim siquidem comperiis-  
 „ sent quid in præpositis quæstionibus  
 „ constituendum esset , nec tibi mole-  
 „ stiam , exhibuissent , nec Nobis , quos  
 „ gravissimæ undique circumstant curæ ,  
 „ non parum temporis occupassent ,  
 „ quod tamen pro singulari Nostro in ve-  
 „ stram gentem studio , atque amore  
 „ libenter impendimus ad rectum vo-  
 „ bis iter monstrandum in posterum ,  
 „ simul præcaventes quomodo in hu-  
 „ jusmodi quæstionibus firmare gressus  
 „ vestros in promptu sit. Reliquum est ,  
 „ Venerabilis Frater , ut tibi , quod faci-  
 „ mus ex animo , præcipuæ benevo-  
 „ lentia Nostræ pignus , Apostolicam  
 „ benedictionem peramanter impertiamur.  
 „ Datum Romæ apud Sanctam  
 „ Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris  
 „ die vii Julii MDCCXLIV Pontificatus  
 „ Nostri anno quarto. *Tenor*  
 „ *Nostrarum literarum*

„ Venerabilibus Fratribus Patriar-  
 „ chis , Primatibus , Archiepiscopis ,  
 „ et Episcopis = Clemens Papa XIII =  
 „ Venerabiles Fratres salutem , et Apo-  
 „ stolicam benedictionem = Appetente  
 „ Sacro Quadragesimali tempore , quod  
 „ plenum mysteriis non sine mysterio  
 „ magnam illam Paschæ celebritatem  
 „ præcedit , qua una omnium sole-  
 „ mnitatum dignitas est consecrata , pro-  
 „ videndum , Venerabiles Fratres , ut  
 „ sacratissimum jejunium sancte , reli-  
 „ gioseque a fidelibus observetur , quod  
 „ legis , et Prophetarum testimonio  
 „ commendatum , a Christo Domino  
 „ consecratum , ab Apostolis traditum  
 „ Ecclesia Catholica perpetuo retinuit ,  
 „ ut per macerationem carnis , et ani-  
 „ mæ humiliationem ad Dominicæ Pas-  
 „ sionis , Paschaliumque Sacramento-  
 „ rum mysteria paratiores accedamus ,  
 „ et in ejus Resurrectione resurgamus ,  
 „ in cujus passione deposito veteri ho-

*Bull. Rom. Tom. III.*

„ mine simus commortui , cujus tam  
 „ sanctæ , tamque salubris institutionis  
 „ retinendæ studio felicitis Recordationis  
 „ prædecessor Noster Benedictus XIV.  
 „ etsi binis ad Vos literis in forma  
 „ Brevis eximium Fraternitatum ve-  
 „ strarum zelum excitavit , quo pluri-  
 „ bus labefactata corruptelis quadrage-  
 „ simalis jejunii disciplina , ad pristinam  
 „ observantiam vestra opera , et studio  
 „ revocaretur , ob eamque rem non-  
 „ nullas cavillationes , quibus omnis sa-  
 „ crorum vis jejuniorum infrigebatur ,  
 „ de medio sustulit , tamen cum ab in-  
 „ fensissimo , teterrimoque humani ge-  
 „ neris hoste tam multæ et assiduæ sint  
 „ Gregi Dominico insidiæ , verendum-  
 „ que propterea sit , ne subinde infir-  
 „ morum animis novas reiteratas ille  
 „ rationes , pravasque suggererat con-  
 „ suetudines , quibus enervata jejunii  
 „ severitas unde revocata dudum fue-  
 „ rat , illuc iterum relabatur , necessa-  
 „ rium existimavimus vobis has literas  
 „ dare , quantoque in timore simus ne-  
 „ quam vetus remanserit corruptela , vel  
 „ nova labe cum fidelium animarum  
 „ pernicie Ecclesiasticæ in hac re di-  
 „ sciplinæ inferatur Fraternitatibus ve-  
 „ stris significare , de quo quidem ti-  
 „ more Nostro tantum intelligimus mi-  
 „ nui oportere , quantum ex eo solli-  
 „ citudinis ad pastoralem vestram vi-  
 „ gilantiam accesserit , qua sive quid-  
 „ piam de veteri corruptela post me-  
 „ moratas supradicti prædecessoris No-  
 „ stri literas fortasse reliquum fuerit ,  
 „ sive nova infringendis jejunii legibus ,  
 „ vel opinionum commenta , vel a ve-  
 „ ra jejunii vi , et natura abhorrentes  
 „ consuetudines humani pravitate inge-  
 „ nii novissime sint invectæ , ea omnia ,  
 „ quantum juvante Domino fieri potest ,  
 „ radicitus convellenda curetis. In qui-  
 „ bus profecto abusus illum censemus  
 „ omnino numerandum quem rumor  
 „ quidam ad Nos pertulit , cum non-  
 „ nulli , quibus ob justas , et legitimas  
 „ causas ab abstinentia carniū dispen-  
 „ satum fuerit , licere sibi putant po-  
 „ tiones lacte permixtas sumere , con-  
 „ tra quam prædecessori Nostro prædi-  
 „ cto visum fuerit , qui censuit tam dis-  
 „ pensatos a carniū abstinentia , quam  
 „ quovis modo jejunantes , unica exce-  
 „ pta comestione , in omnibus equi-  
 „ parandos iis esse quibuscum nulla est  
 „ dispensatio , ac propterea tantummo-  
 „ do ad unicam comestionem posse  
 „ carnem , vel quæ ex carne trahunt ori-  
 „ ginem adhibere. Verum neque com-  
 „ modius nec majori proficiendi spe re-

» vocare homines aggrediemini ad sa-  
 » crosanctam jejunii legem observan-  
 » dam, quam si illud populos doceatis,  
 » Christiani hominis penitentiam  
 » præter cessationem a peccatis, et ma-  
 » le antea vitæ detestationem, eo-  
 » rumdem peccatorum sacramentalem  
 » confessionem illud etiam postulare,  
 » ut per jejunia, eleemosynas, oratio-  
 » nes, et alia spiritualis vitæ opera, Di-  
 » vine Justitiæ satisficiamus; omnem  
 » enim iniquitatem parva, magnave sit,  
 » aut ab ipso penitente, aut a Deo  
 » vindicante puniri oportere; nisi igitur  
 » a Deo puniri velimus, id non ali-  
 » ter vitare nos posse, quam si ipsi nos  
 » puniamus. Quæ quidem doctrina, si  
 » constanter populorum animis inculce-  
 » tur, et a fidelibus denique alte imbi-  
 » batur, minus profecto verendum erit,  
 » ne qui profligatos morès abjecerint,  
 » ac per sacramentalem confessionem  
 » peccata sua eluerint, non eadem pec-  
 » cata velint atterenda carnis concupi-  
 » scentia per jejunium expiare. Præter-  
 » rea quibus persuasum fuerit se pec-  
 » catorum minus dubie penitere cum  
 » se impunitos esse non sinant, in pro-  
 » fecto penitentiam amore capti leta-  
 » buntur, quadragesimali tempore, cæ-  
 » terisque certis diebus cum Sancta Ma-  
 » ter Ecclesia edivit Fidelibus jejunan-  
 » dum, oblatam sibi esse occasionem,  
 » qua dignos penitentiam fructus faciant,  
 » cumque nullo non tempore oporteat  
 » domitas habere concupiscentias: scri-  
 » ptum est enim, post concupiscentias  
 » non eas et a voluntate tua avertere  
 » facile animum inducent sacratissimo  
 » totius anni potissimum tempore cor-  
 » poris intemperantiam mitigare jeju-  
 » nio, ut anima cognitione sui recepta  
 » intelligat, qua compunctione parare  
 » se debeat ad Sanctissima Passionis,  
 » Mortis, et Resurrectionis Jesu Christi  
 » recolenda Mystera. Itaque peniten-  
 » tiæ stimulis tacti minus suavitates ex-  
 » quirant in dapibus, minus secten-  
 » tur cupediarum delicias, quæ quam-  
 » vis cum abstinence a vetitis cibis  
 » non discrepare videantur, tamen eas,  
 » qui mensæ apponat suæ, illum non  
 » immerito dixeris non tam usitatas  
 » abjecisse delicias, quam cupiditatem  
 » suam ad inusitatas illecebras tradu-  
 » xisse, minus denique aut quibus se  
 » subducant a jejunio quærant effu-  
 » gia, aut argutiis studeant Ecclesiasti-  
 » cam legem infringere. Vestrum igitur  
 » est, Venerabiles Fratres, exem-  
 » plo eque ac verbo populis præeun-  
 » tes tantum in eorum animos, peni-

» tentiæ studium, et amorem injice-  
 » re, ut alacriter jejunium aggressi,  
 » et illud ad præscriptas a Catholica  
 » Ecclesia leges observent, et eleemo-  
 » synis etiam, atque oratione sancti-  
 » ficent, et id quo maxime spectat  
 » Ecclesiam, denique consequantur, ut  
 » corpore mortificati, et Christo con-  
 » sepulti ad novam in Paschali sole-  
 » mnitate, novi hominis vitam revocati,  
 » magna cum fiducia reviviscanti Chri-  
 » sto Domino possint occurrere, gratia  
 » Domini Nostri Jesu Christi cum vo-  
 » bis omnibus, quibus Apostolicam be-  
 » nedictionem, benevolentiam in vos, et  
 » charitatis Nostræ pignus amantissi-  
 » me impertimur. Datum Romæ apud  
 » Sanctam Mariam Majorem die xx.  
 » Decembris Anno MDCCLIX., Pon-  
 » tificatus Nostri anno secundo =

§. 4. Omnia itaque, et singula in  
 præinsertis quatuor literis contenta novo  
 Apostolicæ Nostræ auctoritatis robore  
 confirmantes, Venerabiles fratres Nostros  
 Archiepiscopum Sancti Dominici in In-  
 sula Hispaniola nuncupata dicto Caroli  
 Regi subjecta, nec non alios in illius In-  
 diarum regnis, et dominiis Archiepiscopos  
 et Episcopos enixe in Domino hortamur,  
 et quatenus opus sit, eorum  
 singulis in virtute sanctæ obedientiæ  
 præcipimus, et injungimus, ut ipsi ea  
 omnia, quæ in singulis præinsertis li-  
 teris continentur, solemniter publicare,  
 et pro eorum in pastorali munere exe-  
 quendo commendata sollicitudine ab  
 ipsorum respective subditis personis ob-  
 servari curent, si qui vero voce, vel  
 scripto contrarium assererent, eos aucto-  
 ritate etiam Nostra comescant, satis  
 muneris Nostro fecisse videremur, nisi  
 exparte opportunum foret eisdem Archie-  
 piscopis, et Episcopis, quæ constans  
 sit Apostolicæ Sedis disciplina in solven-  
 da a cibus quadragesimalibus Civitate  
 aliqua, vel Diocesi, aut integrâ Re-  
 gione specialiter tradere; et quamvis id  
 in prioribus dicti Benedicti prædeces-  
 soris breviter attingatur literis, nihilo-  
 minus cum in iis, quæ aptæ ac suf-  
 ficientes ad dispensationem hujus ge-  
 neris impetrandam penes Apostolicæ  
 Sedis judicium censeantur causæ, qui-  
 que modus in illis concedendis adhi-  
 bendus traditum minime fuerit, id  
 presentibus enunciare intendimus.

§. 5. Compertum siquidem est, quod  
 causæ absolutæ sufficientes habitæ  
 nunquam fuere, si forte pisces, vel  
 ova caro pretio venderentur, vel exer-  
 citu aliquo in ea ratione stationem ha-  
 bente, milites infra abstinentiæ leges

Pontifex Ar-  
 chiepiscopis,  
 et Episcopis in  
 Indiis como-  
 rantibus præ-  
 scribit relata-  
 rum Literarum  
 evulgationem,  
 et observan-  
 tiam.

Enumerat cau-  
 sas cur dispen-  
 satio a Jejunio  
 fuerit a Sancta  
 Sede indulta,  
 et carniæ us-  
 us permissus.

minime se se continerent. Verum duæ potissimum ad generalem dispensationem ab Apostolica Sede impetrandam sufficientes visæ sunt causæ. Prima nimirum fuit deficientia piscium, olei, et herbarum, adeo, ut re ipsa non suppetereat ea, sine quibus quadragesima observari nequit. Itaque illius loci incolis, in quo nec pisces, nec oleum comparari potuerunt, defueruntque altera, permissum fuit, ut lacte, et ovis uterentur. Verum quatenus ea omnia deficerent; tunc carnis edendæ facultas concedi censuerit, interposita semper jejuniî servandi conditione. Altera censita fuit si morbus in eo loco invale-ret, ut Medicorum judicio assereretur illis ipsis, qui inter cives, et incolas sani, et integri eaumerabantur, perniciem imminere, plurimumque ad luem repellendam, et evitandam proficuum futurum si tum debiles, tum sani a piscibus et oleo et quandoque pariter a lacte, et ovis abstinerent. Vigente alterutra ex præmissis causis, loci Episcopus dispensationem ab Apostolica Sede exoptulare, et de gravissima, urgentique necessitate suum perhibere testimonium, et si de ingruente morbo ageretur præstantiorum Medicorum iudicium scripto emissum accedere debuit. Neque id hactenus tanti fuit momenti, ut carnes permitterentur, quoties lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tunc vero facultas edendi carnes tribui consuevit, cum interposito Episcopi testimonio, hoc omnino necessarium judicaretur. Certi etiam dies præscripti fuere, quibus integra abstinentia servaretur, nempe die Cinerum, diebus quatuor temporum, vigiliis de præcepto servandis, majorique hebdomada a Dominica Palmarum, aliquando itidem abstinentia præscripta fuit, singulis feriis sextis, et Sabbathis, etiamsi facultas tradita ad lactis, et ovorum usum solum extenderetur. Tandem ea semper in hisce addita comperitur conditio ne lex unius quolibet die comestionis ullomodo violaretur, ac neque carnes, et pisces simul ederentur.

§. 6. Reliquum nunc est, ut quoad jejuniî quadragesimalis in illis Indiarum partibus observantiam ipsis Archiepiscopis, et Episcopis, quos doctrinæ laude, et Ecclesiastico spiritu præstantes probe, commendemus, quod ipsi huic Institutioni servandæ, et quatenus opus esset reparandæ sedulam conferendas curas subjectos populos ad impositam illis disciplinam pie, religioseque observandam inclinare contendant. Nec in-

dulgenter petendæ facultatis utendi lacticinis, vel caribus quadragesimæ tempore pro universa Civitate, et Diœcesi, vel Regione aliqua negotium suscipiant. Verum cum illi ob præmissas, vel alias eque urgentes causas eorum populos quadragesimali abstinentia solvi posse in Domino extimaverint, Nos eorum petitiones, animique sensus, habita remotarum ratione Regionum, a quibus annis singulis haberi nequit ad Apostolicam Sedem recursus, excipientes, rationumque momentis, quæ Nobis significata fuerint, serio perpensis, opportunas facultates, ut populorum indigentis consultum sit, illis addere non omitemus.

§. 7. Interim autem quia pro parte ipsius Caroli Regis ad impetrandam in dicta insula Hispaniola illi in temporalibus subjecta generalem ab observantia ciborum quadragesimalium dispensationem Nobis etiam expositum fuit, veneficam piscium in ea Regione vigere qualitatem, et exiguum esse Piscatorum numerum, qui longe ab Insula piscantes pisces deferunt ob nimium calorem, aut fetentes, aut corruptos, eas quoque gentes paupertate præssas ad oleum sibi ipsis comparandum impares esse, deficere demum olera, et legumina, quæ illic facile putrescunt, vel a vermibus absumuntur, neque in hujusmodi necessitatis eventum ab adeo remota Regione haberi posse annis singulis ad Apostolicam Sedem recursum.

§. 8. Nos ejusdem Karoli Regis votis hac quoque in parte obsecundare volentes, dicto Archiepiscopo Sancti Dominici in eadem Insula Hispaniola dicto Karolo Regi subjecta, ejusque successoribus pro tempore existentibus facultatem concedimus per præsentem, ut quatenus in ea Insulæ parte, ubi ipse ordinariam Ecclesiasticam, et spiritualem exercet jurisdictionem in casu veræ, et ineluctabilis necessitatis, ac de anno in annum tantum, præfataque vera necessitate durante, et non aliter, nec alio modo possit, et valeat cum fidelibus populis ejus regimini commissis dispensare super esu ovorum, et lacticiniorum, ac etiam carniarum tempore quadragesimali indicta, simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejuniî per unicam comestionem, onerataque ipsius Archiepiscopi conscientia, si adamussim juxta præscriptum concessa facultate non uteretur.

§. 9. Quoniam vero bonum semen sacræ doctrinæ in Agro Dominico serendum est, ut exinde uberes fructus

Peculiares pro videntio impetrata a Catholico Rege pro Insula Hispaniola super dispensatione a jejuniio.

Pontifex peculiare facultates indulget Episcopo S. Dominici in Hispaniola super petita dispensatione a jejuniio.

Archiepiscopos et Episcopos in Indiis hortatur, ut j. junii observantiam incumbant, et relaxatam fortasse hac de re disciplinam proviribus corrigant.

Archiepiscopos et Episcopos injungit ut servatio curent ver-

bi Dei prædicationem, et Evangelii populo explanationem quo firmius in Fide persistant.

piorum operum, et sedulæ divinarum et Ecclesiæ mandatorum observantiæ percipiantur, propterea, si Christianæ fidei mysteria, Evangelica veritas, et Catholica Ecclesiæ leges omnes assidue exponantur ab animarum Rectoribus, Fideles illos nedom Quadragesimale jejunium, sed et cætera præcepta prompto, alacrique animo sub suavi Christi jugo servaturos esse confidimus. Etenim cum humana cogitatio prona sit ad malum, ab adolescentia sua murum opponere oportet Verbi Dei. Idcirco inherentes quoque Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, et signanter Benedicti XIII. per ejus literas in forma Brevis sub datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Augusti MDCCXXVIII., Pontificatus sui Anno quinto expeditas, dispositionibus, atque in id omnem sollicitudinem conferentes, ut fideles assidue divini verbi virtute excolantur, eisdem Archiepiscopis, et Episcopis etiam injungimus, ut sedulo curent, atque præcipiant, quod animarum Rectores palam, et publice in Ecclesiis singulis Dominicis, aliisque festis diebus, populo inter Missæ Sacrificium Sanctum explicent Evangelium, opportunisque Quadragesimæ maxime, et Adventus recurrentibus temporibus, ne messis, quam præparavit Dominus ob operariorum defectum arescat, in Agro concionatores abundant. Ac insuper statuunt, et mandent, quod ipsi Rectores, et Concionatores omnes, etiam in Panegyricis, absoluta expositione eorum, quæ sibi ipsis proponant, rursum assumpto loquendi themate, aliquem Christianæ doctrinæ articulum, aut Divinæ Legis præceptum, prout animarum necessitatibus opportunius esse censuerint, simpliciter, plano, apertoque stylo, ac juxta Catechismum ex decreto Concilii Tridentini, jussu Sancti Pii Papæ V. prædecessoris, et Nostro iterum editum tradant, et explicent: inobedientes, si qui forent coerceant non modo vetita eis prædicandi, et ministrandi Verbi Dei facultate, sed uti opus esset Ecclesiasticis etiam adhibitis censuris.

Clausula sublatâ, et decretum irritans Derogatio contrationum, et fides transumptorum.

§. 10. Decernimus demum, presentes Nostras literas semper, et perpetuo firmas, et efficaces esse, et fore, suamque plenarium, et integrum effectum sortiri debere, ac irritum, et inane, si secus, super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, ac respective firmis, et salvis remanentibus Constitutionibus, et Ordinationibus Aposto-

licis, et omnibus illis, quæ per præsentibus non obstare, ac respective firma, et salva esse, et fore declaravimus. Volumus autem, ut eadem præsentibus in locis singulis, ubi opus fuerit plene innotescant, quod ipsarum exemplis etiam impressis, a Notario publico subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si exhibitæ forent, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostram infringere, vel ei quovis ausu contrarie; si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCCLXXIV. Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDXCII.

- Dat. die 19. Oct. 1765. Anno VIII.

Coloniensem Universitatem comendat pro evulgato judicio contra librum Justini Febronii, et acta Pseudo-Synodi Ultrajectinæ.

Quoad librum Justini Febronii vide Epistolam hoc Tom. III. relatam sub Num. CDLIII. pag. 51. ad adnotationem in ea appositam Quoad Pseudo-Synodum, Ultrajectinam consule Constitutionem Apostolicam hujus Pontificis diei 30 April. 1765 relatam pariter hoc eodem Tom. III. sub Numero CDLXV. pag. 67.

Dilectis Filiis Rectori et Magistris Universitatis Coloniensis

Clemens PP. XIII.

Dilecti Fili Nobiles Viri salutem, et Apostolicam benedictionem

Egregiam a Nobis de doctrina, et ingenio vestro laudem tulistis eo scripto quod ad Nos misistis, adversus exitalem Justini Febronii librum, et acta pseudo-Synodi Ultrajectinæ, vobisque illud maximæ gratulamur, quod oblatam ab iis libris declarandæ egregiæ vestræ in Ecclesiam et hanc Sacram B. Petri Sedem voluntatis occasionem taciti prætermittere nolulistis. Sic sunt ingenia Dei zelo flagrantia, ut si qui exo-

riantur ab Ecclesiæ hostibus adversus veram pietatem, et Orthodoxam fidem impetus, nulla interjecta mora eos aggre-diantur extinguere. Itaque et vestrum in Sanctam Ecclesiam amorem, et in Apostolicam Sedem studium, et devotionem recognovimus et his de causis vos magnopere amamus et egregiæ voluntati erga Nos vestræ magnas agimus gratias. Deum enixe precamur, ut ingenia vestra sibi devota uberiore in dies divinæ lucis copia collustret, vobisque omnibus eximiæ erga vos benevolentia gratique animi Nostri pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum ex Arce Castri Gandulphi Albanen Diœcesis ec. Die Decima nona Octobris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

## CDXCIII.

Cum Episcopo Leodiensi gratulatur pro Pastoralis ab illo edita, et evulgatione Apostolicæ Constitutionis, qua Pseudo-Synodus Ultrajectina proscribitur.

*Litteræ Apostolicæ quibus Pseudo-Synodus Ultrajectina proscribitur retulimus supra hoc Tom. III. sub numero. CDLXV. pag. 67.*

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem

**P**astoralem Epistolam tuam libentissime legimus, qua Clerum tuum, et populum tibi commissum admones, Pseudo-Synodi Ultrajectinæ acta haud ita pridem edita, Apostolico iudicio Nostro fuisse damnata. In qua Epistola zelus tuus mirifice elucet, et eximia, qua Sacram hanc B. Petri Sedem præcipue colis, reverentia maxime eminet. Tuæ vero ad Nos literæ quammultas habent summi tui erga Sacram eandem Sedem studii, et preclaræ erga Nos pietatis significationes! Sed illud præcipuum, quod profiteris ipsum te tuasque res omnes Ecclesiæ utilitati et hono, Romanæque Cathedræ dignitati et gloriæ devovisse. Voluntatem istam tuam divinæ gratiæ robore confirmari in dies animadvertimus, ex quo fit ut vicissim ad eam benevolentiam, qua Fraternitatem tuam semper complexi

sumus, magna itidem Nostri erga te amoris in dies fiat accessio. In extrema literarum tuarum parte vehementer doluisse te scribis de valetudine Nostræ periculo, et contra quod incolumes inde emersimus magnam te cœpisse lætitiā. Faxit Deus, ut ad anteactam vitam Nostram, quidquid addiderit temporis, id omne ad Ecclesiæ ædificationem, cui unice servire intendimus, et ad Dei honorem et gloriam procurandam adhibeamus. Interea optamus in eo quod superest Nobis vitæ, crebras occasiones dari, quibus te tibi præstemus debitam tuis virtutibus, tuoque erga hanc Sanctam Sedem egregio studio et obsequio Apostolicam Nostram benevolentiam. Commodis enim et utilitatibus Ecclesiæ parandis, Nos existimamus tum maxime operam dare cum maxime te tuique similes zelo Dei flagrantes, et hæc omnia ad Dei cultum referentes Venerabiles Fratres Episcopos, auctoritate Nostra, et officii enitemur adjuvare. Et Fraternitati tuæ intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum in Arce Castri Gandulphi die decima nona Octobris MDCCLXV Pontificatus Nostri Anno octavo.

## CDXCIV.

Reipublicæ Lucernensi respondet, æquum non esse ut Ecclesiastici subveniant necessitatibus ipsius Reipublicæ, ubi Laici neque primi, neque majorem partem gravaminis sustinerunt.

Dilectis Filiis Prætori, Senatui,  
et Consilio Majoris Civitatis,  
et Reipublicæ Lucernensis.

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii, salutem  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. **B**inas Epistolas superiore anno a vobis accepimus, quarum altera data est die XII. mensis Maii, altera die XIV. Septembris. Postulatis a Nobis dilecti filii, vobis ut concederemus facultatem percipiendi in perpetuum aut decimam, aut generale aliquod subsidium super bona, quæ in ditione vestræ Reipublicæ Ecclesiastici possident. Quibus Epistolis etsi nondum respon-

Dat. die 23.  
Oct. 1765. Anno VIII.

Rationem redditur cur in scriptis minime responsionem dedit binis Epistolis de subsidio ab Ecclesiasticis præstando pertractantibus.

Dat. die 19.  
Oct. 1766. Anno VIII.



dimus, tamen curavimus vos fieri certiores, quid de hac postulatione vestra sentiamus. Ejusmodi Nostrum silentium existimavimus vobis esse debere novum de paterna erga vos benevolentia Nostra argumentum. Nam qui precibus vestris a Canonicis sanctionibus, et ab universali Ecclesiae disciplina tantopere alienis obsecundare non poteramus, molliori via maluimus Nostri animi sensus ad vos perferri, quam postulationem vestram per literas palam, non sine magna molestia Nostra prorsus reicere.

Saniori consilio Republica postulavit ut loco perpetui subsidii licium eidem foret ab Ecclesiasticis voluntarias accipere oblationes.

§. 2. Sed quam ad Nos dedistis die xxx. Julii proxime elapsi Epistola tertia, non mediocrem Nobis attulit consolationem; qui videamus silentio Nostro commotos a priore postulatione vos recessisse, et id tantummodo petere, ut ex Apostolica indulgentia Nostra nonnisi gratuitum munus possitis accipere, quod Clerus generose, et sponte, et hilari animo vobis sit oblaturus. Enimvero id quoque Nostrorum nonnihil sollicitat animum: neque enim exemplum extat ullum in universa Catholica Ecclesia, obstringi Ecclesiasticos ab Apostolica Sede, aut iis permissum, ut ex Ecclesiae bonis subveniant necessitati Reipublicae, ubi Laici neque primi, neque majorem partem contulerint. Sed tamen benigno animo rationes quas affertis, consideravimus; quarum illae Nos praecipue commoverunt; rarus in quo versamini articulus, et ipsa Reipublicae vestrae Constitutio. Sed omnium maxime in hac deliberatione Nostra rationem habuimus majorem, qui fide Catholica defendendo, et hujus Apostolicae Sedis tuenda dignitate et auctoritate maxima sibi gloriam pepererunt.

Quam postremam postulationem Pontifex judicio peculiaris Congregationis commisit.

§. 3. Itaque certa spe confisi, vos eadem majorum vestrorum pressuros esse vestigia, et in eadem qua illi erga Sacram B. Petri Sedem fide, reverentia et obsequio permansuros, novitatem hujus postulationis vestrae quibusdam Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et nonnullis Praelatis examinandam commisimus, quorum consilio duximus vobis in hac re praeter ceteris Ecclesiae filiis praecipuo quodam et singulari modo gratificare, et vestrae erga Nos reverentiae et obsequii causa Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine uti, ea ratione et modo, quam vobiscum Ven. Frater Archiepiscopus Caesariensis, Noster apud vos, et Apostolicae Sedis Nuncius communicabit. Ceterum vestra Religione, vestraque, quam Ecclesiae juribus et Ecclesiasticis personis debitis, reverentia confisi nihil

opus esse existimamus Parochi Murbaensis revocari memoriam, de quo in secunda Epistola vestra mentionem fecistis, nec dubitamus, si quam ejus imprudentia ferre debuit poenam, vos ad eum puniendum legitimam Ecclesiae potestatem implorasse. Id vos fecisse existimamus; et si qua similis se occasio in posterum dederit semper vos esse facturos confidimus. Vobisque omni cordis Nostri affectu, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum in Arce Castri Gandulphi Albanensis Diocesis sub Annulo piscatoris die vigesima tertia Octobris MDGCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXCV.

Dat. die 30.  
Oct. 1765. An.  
VIII.

Jurisdictionem in Monasterium, et Moniales S. Sebastiani Civitatis Oriolensis quam Benedictus XIV. temporanee Archiepiscopo Valentino contulerat, se Ordinario Oriolensi restituisse Pontifex Archiepiscopo praelaudato participat.

*Vide Literas Apostolicas relatas sequenti numero.*

Venerabili Fratri Andreae Archiepiscopo Valentino.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

Ubi primum intelleximus in Monasterio Sancti Sebastiani Civitatis Oriolensis turbas omnes, quae ante hos duodecim annos exortae fuerat consiluisse, omniumque discordiarum semina ita esse extincta, ut ipse quoque existimes, nihil amplius esse causae, cur Monasterium illud in tua teneas potestate, et idcirco tibi abdicandam esse arbitris jurisdictionem, quam fel. rec. decessor Noster Benedictus XIV. Episcopo Oriolensi tandiu ademptam quamdiu eidem Benedicto, et huic Apostolicae Sedi visum esset opportunum ad Fraternalitatem tuam transtulerat; Nos rogatu carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, te Diocesis tuae negotiis satis praegravatum illo onere levare voluimus, et per alias nostras literas hac eadem die datas ju-



risdictionem, quam ad hanc diem in memoratum Monasterium non mediocri cum laude exercuisti, extinctam declaravimus, et jurisdictionem ordinariam Episcopo Oriolensi in idem Monasterium reviviscere fecimus, ipsumque Episcopum in integrum restitutum pronuntiavimus, ita ut deinceps Monasterii ipsius Moniales, ceteræque personæ, et res, quæ ad illud pertinent, in ejusdem Episcopi illiusque successorum esse debeant potestate. Denique illius regendi Monasterii onus eo libentius tibi Ven. Frater ademimus, quod vehementer id te cupere accepimus, ac propterea Nos obsecundasse desiderio tuo jucundum tibi fore non dubitamus. Et Fraternitati tuæ benevolentia erga te Nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die xxx. Octobris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

## CDXVI.

Dat. die 30. Octobris, 1765. Anno VIII.

Jurisdictione in Monasterium, et Moniales S. Sebastiani Civitatis Oriolensis, quam Benedictus XIV, propter nonnulla obhorta dissidia, ab Ordinario Oriolensi ad Archiepiscopum Valentinum transtulerat, cessatis hujus translationis causis, iterum Episcopo Oriolensi restituitur.

Clemens PP. XIII,

Ad futuram rei memoriam

§. 1. Nuper Dilectus Filius Magister Thomas Azpuru Cappellanus Noster, Romanæque Rotæ Auditor carissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis exposuit, ante hos duodecim annos recemem. decessorem Nostrum Benedictum rogatu Ferdinandi VI Regis Catholici, Monasterium S. Sebastiani Monialium Ordinis S. Augustini Civitatis Oriolensis tum temporis plenum discordiarum, ad componendos animi motus quibus propter Priorissæ electionem Moniales extuabant, ab ordinaria jurisdictione Oriolensis Episcopi, qui, electæ Priorissæ fautor, non satis aptus conciliandæ pacis arbiter existimabatur, tandiu exemptum voluisse, quamdiu ita esse exemptum oportere sibi et Apostolicæ Sedi vi-

Exponitur causa translationis jurisdictionis in hoc Monasterio factæ a Benedicto XIV.

deretur, et jurisdictionem in idem Monasterium ad Ven. Fratrem Andream Archiepiscopum Valentinum Delegati, Apostolici facultatibus instructum transtulisse.

§. 2. Nunc autem idem Monasterium omnium, quæ exarserant dissidiorum causis extinctis, summa pace florere; nec propterea oportere amplius ab memorato Archiepiscopo Valentino ejus Monasterii regendi onus sustineri, cum præsertim longe absentis opus illi sit jurisdictionem suam alteri subdelegare: Cumque Ven. Frater Petrus modernus Episcopus Oriolensis usu rerum et prudentia præstet, opportunum videri, idque optimum factu vel ipsum Archiepiscopum Valentinum existimare (quod apparet ex ejus Literis ad memoratum Regem Catholicum datis die xxxi proxime elapsi mensis Augusti), ut eidem Episcopo sua in idem Monasterium jurisdictio restituitur.

Cessatis dissidiorum causis Oriolensis Episcopus pro jurisdictionis recuperatione instituit.

§. 3. Quapropter carissimus, quem supra diximus in Christo Filius Noster Carolus Rex Catholicus supplicem libellum Nobis exhiberi fecit, ut idem Monasterium ab jurisdictione Archiepiscopi Valentini ad ordinariam Episcopi Oriolensis jurisdictionem retrahamus. Nos igitur incliti Regis de Ecclesia et Apostolica Sede optime meriti supplicationibus libentissime inclinati, Monasterium S. Sebastiani Monialium Ordinis S. Augustini Civitatis Oriolensis ad jurisdictionem ordinariam Episcopi Oriolensis revocamus et ipsi Episcopo Ordinario subjectum, ut erat ante suspensionem ordinariæ jurisdictionis, quam duximus a decessore Nostro Benedicto XIV factam volumus et declaramus, ita ut nulla in re quacumque sive ad Moniales sive ad Monasterium quomodolibet pertineat immiscere se possit Archiepiscopus Valentinus, cui omnem jurisdictionem tam in dicti Monasterii S. Sebastiani Moniales quam in ejus Ministros, Officiales, Ecclesiæ Rectores, Sacristanos, Confessarios, Clericos, et Laicos quoscumque inservientes omnino extinguimus, et extinctam esse pronuntiamus, et Episcopus Oriolensis plenam deinceps in idem Monasterium, et Moniales ejusque personas, et res ad illud quomodolibet pertinentes jurisdictionem, quæ illi ut Ordinario competit, exercere possit et debeat jurisdictionem illi per has Nostras literas proprio motu, scientia, et Apostolica potestate Nostra restitutam volumus et declaramus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud

Catholicus Hispaniarum Rex pro restitutione pristinae jurisdictionis petens Pontificem supplicavit, qui Regis precibus obsecundare duxit.

S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Octobris MDCCLXV Pontificatus Nostri Anno octavo.

Dat. die 30.  
Octobr. 1765.  
Anno VIII.

## CDXCVII.

Monialibus S. Sebastiani Civitatis Oriolensis participat, eorum Monasterium restitutum esse jurisdictioni Episcopi Oriolensis jam prius ad Archiepiscopi Valentini jurisdictionem translatum a Benedicto XIV.

*Vide Epistolas binis superioribus numeris relatas.*

Dilectis in Christo Filiabus Religiosis Mulieribus Priorissæ et Monialibus S. Sebastiani Ordinis S. Augustini Civitatis Oriolensis.

Clemens PP. XIII.

Dilectæ in Christo Filix Religiosæ Mulieres salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quæ inter vos exortæ fuerant discordiæ jamdiu sublatas esse, omniumque vestrum animos olim dissidentes vera solidaque pace coaluisse, vobis ex animo gratulamur. Hæc vero vestra vestrarumque rerum tranquillitas fecit, ut vos Monasteriumque vestrum ab extraordinaria, seu delegata ab Apostolica Sede jurisdictione Archiepiscopi Valentiniensis, quam per alias Nostras literas hac eadem die datas extinctam declaravimus, sub ordinaria Oriolensis Episcopi vestri jurisdictionem, per eandem literas Nostras reposuerimus, cui non dubitamus ut Patri omnibus in rebus vos esse obtemperaturas. Deum pacis auctorem enixe precamur, ut omnes in posterum discordiarum causas a vobis prohibeat, quo vobis liceat in isto Sancto a Mundi vanitate recessu Deo cum animi perpetua tranquillitate servare, et perfectioris usque vitæ altiores in dies gradus conscendere. Vobisque dilectæ in Christo Filix Religiosæ Mulieres, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die tricesima Octobris MDCCLXV Pontificatus Nostri Anno octavo.

## CDXCVIII.

Dat. die 13.  
Nov. 1765. Anno VIII.

Episcopo Leucoriensi gratulanti pro edita Constitutione, qua Societatis Jesu Institutum confirmatur, respondet, causas hujus confirmationis expendens, et prælaudatæ Societatis Clericos enixe comendans.

*Vide Epistolam relatum hoc Tom. III. sub Num. CDLXXXVIII. pag. 130. et adnotationem in ea appositam.*

Venerabili Fratri Antonio Episcopo Leucoriensi

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem

Qui in isto amplissimo Regno sunt Catholici nominis, quantus fuerit iis mæror ex Clericorum Regularium Societatis Jesu calamitate, et rursus ex Constitutione Nostra, qua Institutum ejusdem Societatis confirmando innoxiiis hominibus et ærumnarum, quas adhuc perpassi sunt, immerentibus, eam quam potuimus consolationem attulimus, quanta iidem Catholici apud vos sint perfunsi lætitia ex literis Fraternalitatis tuæ per libenter accepimus. Sed quod ea Constitutione injuriam repulimus in Ecclesiam Dei timentibus illatam, qui Institutum illud ab Ecclesia Catholica pium appellatum, effrenata temeritate ut impium traducere, et appellare sunt ausi, id vobis lætandum magis. Ceterum homines zelo, pietate, ex doctrina præstantes, animarumque sanctificandarum studio incensos, et Regni Dei propagandi maxime cupidos, ex omnibus partibus libentissime intelleximus, invicta patientia suas perpeti clades sic enim factis, nomen, quod habent, probant = *Sequitur enim Christum ut ait* « Martyr Ciprianus, qui ejus præceptis » *insistit, qui per Dominici Magisterii* « graditur viam; qui vestigia ejus atque » *itineria sectatur; qui id quod Christus* « *et fecit et docuit, imitatur = Christus autem omni vita sua persecutiones est passus et illud discipulos docuit = In patientia vestra possidebitis animas vestras = De tuarum literarum officio quo memoratam Constitutionem Nostram non tam Societati Jesu quam Nobis gratulatur Fraternalitas tua, noli quærere quantopere id Nobis fuerit gratum. Ceterum homines de Ecclesia*

optime meritos tibi Ven. Frater sum-  
mopere commendamus. Quo majore  
illos favore et studio fraternitas tua fo-  
verit, eo plus tibi Apostolicæ volun-  
tatis Nostræ conciliabis et gratiæ. Inte-  
rea eximæ erga te benevolentia nostræ  
pignus Fraternitati tuæ Apostoli-  
cam benedictionem peramanter imp-  
ertimur. Datum Romæ apud Sanctam  
Mariam Majorem die xiii Novembris  
MDCCLXV Pontificatus Nostri Anno  
Octavo.

ID.

Indulgentia plenaria conceditur Religio-  
sis Ordinis Predicatorum, in diversas  
Christianæ Reipublicæ Provincias ad  
Missiones mitti solitis, nec non Chri-  
stifidelibus utriusque sexus ad quos  
illi mittuntur, et pro una tantum vice  
qualibet missione

Clemens PP. XIII.

Universis Christifidelibus præsentibus  
Literas inspecturis salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

**C**œlestium munerum thesauros,  
quorum dispensatores esse Nos voluit  
Altissimus; libenter erogamus, cum ad  
Religionis incrementum, et animarum  
salutem profuturos speramus. Cum ita-  
que, sicut accepimus, nonnulli Fratres  
Ordinis Prædicatorum de Ordinariorum,  
et Superiorum licentia in diversas Chri-  
stianæ Reipublicæ Provincias ad pro-  
curandam fidelium salutem mitti so-  
leant: Nos eorumdem Fratrum pietatem,  
omniumque, ad quos illi mittentur,  
devotionem confovere, atque augere cu-  
pientes; omnibus, et singulis Fratribus  
prædictis, ac aliis utriusque sexus Chri-  
stifidelibus, ad quos mittendi accesser-  
int, Nostram, et Apostolicam Benedic-  
tionem per præsentibus impertimur;  
iisdemque vere prænitentibus, et con-  
fessis, ac Sac. Communionem refectis,  
qui pro S. Romanæ Ecclesiæ exaltatione,  
Principum Christianorum unione,  
Infidelium conversione, ac hæresum ex-  
tirpatione, prout unicuique suggeret de-  
votio, pias ad Deum preces effuderint,  
Plenariam, una vice tantum, tempore  
uniuscujusque Missionis, omnium pec-  
catorum suorum Indulgentiam, et rem-  
issionem misericorditer in Domino  
concedimus. Præsentibus ad septenni-  
um, quoad Indias vero ad quindecim annos

*Bull. Rom. Tom. III.*

tantum valituris. Volumus autem ut si  
pro impetratione, præsentatione, ad-  
missione, seu publicatione præsentium  
aliquid vel minimum detur, aut sponte  
oblato recipiatur, præsentibus nullæ  
sint; atque præsentium Literam tran-  
sumptis, seu exemplis etiam impressis,  
manu alicujus Notarii publici subscriptis  
et sigillo personæ in Ecclesiastica digni-  
tate constitutæ munitis, eadem prorsus  
fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis  
præsentibus si forent exhibitæ, vel osten-  
sæ. Datum Romæ apud Sanctam Ma-  
riam Majorem sub Annulo Piscatoris  
die xviii. Novembris MDCCLXV. Pon-  
tificatus nostri Anno Octavo.

D.

Indulgentia plenaria conceditur cunctis  
utriusque sexus Christifidelibus pro una  
vice tantum quolibet anno, qui con-  
fessis, et sacra comunione refectis,  
hora sibi assignata, Rosarium Beatæ  
Mariæ Virginis devote recitaverint.

Clemens PP. XIII.

Universis Christifidelibus præsentibus  
Literas inspecturis salutem,  
et Apostolicam Benedictionem.

**A**d augendam fidelium Religio-  
nem, et animarum salutem Cœlestibus  
Ecclesiæ thesauris pia charitate inten-  
ti; omnibus, et singulis utriusque se-  
xus Christifidelibus vere penitentibus,  
et confessis, ac Sac. Communionem refe-  
ctis, qui hora sibi assignata Rosarium  
B. Mariæ Virginis devote recitaverint,  
et pro Christianorum Principum concor-  
dia, hæresum extirpatione, ac S. Ma-  
tris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum  
preces effuderint, Plenariam semel dum-  
taxat in Anno, omnium peccatorum suo-  
rum Indulgentiam, et remissionem,  
quam etiam Animabus Christifidelium,  
quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac  
luce migraverint, per modum suffragii  
applicare possint, misericorditer in Do-  
mino concedimus; in contrarium faci-  
entibus non obstantibus quibuscumque.  
Præsentibus ad septenni-um, quoad In-  
dias vero ad quindecim annos, tantum  
valituris. Volumus autem ut si pro im-  
petitione, præsentatione, admissione,  
seu publicatione præsentium aliquid vel  
minimum detur, aut sponte oblato  
recipiatur, præsentibus nullæ sint; ut-  
que præsentium literarum transumptis,

T

Dat. die 18 No-  
vembr. 1765.  
Anno VIII.

Dat. die 18 No-  
vembr. 1765.  
An. VIII.

seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. die 18. No-  
vembr. 1765.  
Anno VIII.

## DI.

Indulgentiæ conceduntur Religiosis utriusque sexus Ordinis Fratrum Prædicatorum qui una vice singulis annis piæ incubuerint exercitationi spiritualium exercitationum per quadraginta dies.

## Clemens PP. XII.

## Ad futuram rei memoriam

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Thomas de Boxadors Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod in multis Conventibus, et Monasteriis dicti Ordinis consuetum est, ut tam Fratres, quam Moniales, eorumdem Conventuum, et Monasteriorum quotannis in aliquod cubiculum sibi a Superioribus assignatum secedant, ubi per quadraginta dies diversis exercitiis spiritualibus alternative, nempe orationibus, mortificationibus, corporis flagellationibus, seu disciplinis, et aliis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Noster JESUS CHRISTUS in deserto fuit, magna cum devotione, et silentio vacant. Nos igitur devotionem hujusmodi Cælestibus Ecclesiæ thesauris, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, confovere volentes, ac supplicationibus ejusdem Joannis Thomæ Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis tam Fratribus, quam Monialibus dicti Ordinis, qui per prædictos quadraginta dies piis hujusmodi exercitiis semel quotannis operam dederint, qua vice id egerint, easdem Indulgentias peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Paulus PP. V. Prædecessor Noster Fratribus, et Monialibus prædictis, aliorumque ordinum, qui per decem dierum spatium spiritualibus exercitiis incumbunt, concessit, Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus.

Non obstante Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque in contrarium facientibus, quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint; utque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno octavo.

## DII.

Dat. die 18. No-  
vembr. 1765.  
Ann. VIII.

Peculiares indulgentiæ conceduntur pro Religiosis utriusque sexus Ordinis Fratrum Prædicatorum, nec non singulis aliis Christifidelibus occasione anniversariorum in Ecclesiis hujus Ordinis celebrari solitorum.

## Clemens PP. XIII.

## Ad futuram rei memoriam

§. 1. **C**um, sicut pro parte dilecti filii Joannis Thomæ de Boxadors Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis nuper expositum fuit, in singulis Ecclesiis Fratrum, et Monialium dicti Ordinis quatuor quotannis anniversaria, unum scilicet pro omnium, et singulorum Fratrum, et Monialium dicti, ac etiam Tertii Ordinis S. Dominici defunctorum die decima mensis Novembris; secundum pro eorumdem Fratrum, et Monialium parentum, ac consanguineorum, et affinium defunctorum refrigerio die quarta mensis Februarii, et alterum in suffragium animarum familiarium, et Benefactorum ejusdem ordinis die quinta mensis Septembris, nec non reliquum in suffragium animarum Christifidelium in Ecclesiis, et Cæmeteriis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis sepulcorum die duodecima mensis Julii, seu aliis immediate sequentibus respective diebus non impeditis celebrari consueverint: Nos, ut opus tam piæ majori

cum fructu fiat, et ad augendam Fratrum, ac Monialium devotionem, et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus dicti Joannis Thomæ Magistri Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus, et singulis Fratribus dicti Ordinis in Sacro presbyteratus ordine constitutis, qui celebraverint, plenariam; aliis vero Fratribus dicti Ordinis non celebrantibus, nec non Monialibus prædictis vere pœnitentibus et confessis, ac Sac. Communionem refectis, qui Missæ seu officio defunctorum in Ecclesiis prædictis hujusmodi anniversariorum diebus celebrandis devote interfuerint, et ibi pro Christianorum Principum concordia hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, quam etiam animabus prædictorum defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantum validuris. Volumus autem ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint, utque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.



DIII.

Dat. die 20. No-  
vembr. 1765.  
Anno VIII.

Archiepiscopo Rhemensi gratias agit pro actis Generalis Gallicanorum Episcoporum Conventus ad Pontificem missis, et acta eadem expendit, atque comendat.

*Archiepiscopus, et Episcopus Lutetiæ ad Generalia Comitia congregatos hortatus fuerat Pontifex hic per Literas diei 8 Maii hujus Anni, ut de medendis Ecclesiæ Gallicanæ malis serio cogitarent, Regiamque in primis operam implorarent ut videre est hoc Tomo III. sub Num. CDLXVI. pag. 69, et in adnotatione ibidem apposita.*

Venerabili Fratri Carolo Antonio  
Archiepiscopo Rhemensi

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater  
salutem, et Apostolicam benedictionem!

§. 1. De Generali isto Gallicanorum Episcoporum conventu, qui te Preside novissime Lucetiæ Parisiorum est habitus minime Nos fefellit opinio, et Dei zelus quo piissimi Antistites flagrantem animum gerunt, eorumque unanimis omnium consensus spei et expectationi Nostræ plane respondit. Non dubitamus ex iis quæ fecerunt, quia multa plura facturi fuissent atque meliora, si æquioribus temporibus uterentur. Sed tamen Deo gratulandum qui tanta gratiæ suæ firmitudine eorum animos sepsit, ut ubi de summa Religionis dimicaretur, rati non amplius dissimulandum tandem in memorato generali conventu omni humanarum rerum posthabito respectu, invictum omni prætulerint robur, seque exhiberint pro tuenda Ecclesia Dei plane Sacerdotali fortitudine communitos.

§. 2. Et magna quidem Ven. Frater injuriarum mole per hos aliquot annos Nos Ecclesiam Dei vehementer ingemuimus prægravatam. Vidimus his novissimis temporibus = apud quosdam mutare lubricam Fidem, apud irreligiosos vacillare Dei timorem, aut pacificam non perseverare concordiam = Sed gratia Dei adjutrice et comite, piissimi Antistites declaraverunt, non sic Evangelicum cecidisse in Ecclesia Gallicana vigorem, aut Christianæ virtutes est;

Gaudet quod Gallicani Episcopi, temporibus licet adversis plura egerint in Parisiensibus comitiis pro Religionis hono.

Et primo quidem communem eorum declarationem quoad persistentem Gallicanæ Ecclesiæ vigorem et Catholicæ fidei firmitatem.

Catholicæ Fidei robur elanguisse, ut non supersit universus Episcopalis Ordo, Ecclesiæ portio præcipua, quæ minime ad has rerum ruinas succumbat, sed fortis, et stabilis honorem Divinæ Majestatis et Sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur.

Deinde vero proscriptio-  
nem pernicio-  
sorum libro-  
rum, et Eccle-  
siasticæ liber-  
tati propugna-  
tionem.

§. 3. Itaque primum quod maximæ opus fuit a Christiana Religione impiorum injurias repulerunt; proscriptis quæ flagitiosissimis libris, ab eorum lectione fideles absteruerunt; monueruntque, nefas esse cum religionis amittendæ periculo enunciatis, aliosque ejus generis perniciosissimos libros vel leviter attingere. Quod ad Ecclesiæ Divinam sublimemque potestatem attinet, sacris unice Pastoribus ab ipso Christo traditam strenue eandem potestatem ab ejus invasoribus in libertatem exemerunt, recteque docent eam absolutissimi, et plenissimi esse juris sui et arbitrii, nulli hujus mundi potestati obnoxiam a nulla prorsus seculari potestate pendentem, omni denique liberam libertate: cui libertati laicam potestatem præsidio quidem esse debere; at sub auxilii ferendi pretextu non illi jugum imponere. Subditos Ecclesiæ in iis, quæ ad spiritualia pertinent, esse vel ipsos terrarum rectores et Dominos, nec eorum unquam fas esse, vel in tradenda sive fidei, sive morum doctrina, sive in Sacramentis administrandis, et ad ipsorum administrationem Sacris Ministris vel adhibendis, vel amovendis, quidquam præripere, nec per causam componendarum in Ecclesia turbarum quas veritatis inimici excitaverint, sacris Pastoribus fideique propugatoribus silentium imponere.

Enumerat  
quamplures  
alias declara-  
tiones Gallica-  
ni Cleri pro Re-  
ligionis bono  
factas.

§. 4. De Religiosorum Ordinum Institutis, et quæ ab eorum conditoribus vota præscribuntur, de iis solius esse Ecclesiæ judicare Constitutionis denique Unigenitus, et Encyclicæ fel. rec. prædecessoris Nostri Benedicti XIV a Nobis confirmatæ assertores Catholicam doctrinam, et Apostolicæ Sedis dignitatem auctoritatemque ab impudente, obstinataque contumacium hominum et refractoriorum audacia vindicaverunt; illud diserte declarantes conjunctionem et unitatem servare se cum eadem Beatissimi Apostoli Petri sacratissima Sede, quam Christus Dominus posuit fundamentum, cui ita universæ Ecclesiæ nititur ædificium, ut quidquid ab eo se removerit, illud corruiſſe, et jam ab Ecclesia oporteat recessisse. Qui enim Cathedram Petri, ut ait ex Cypriano Martyre prædecessor noster Pe-

lagius II. super quam Ecclesia fundata est deserit, et resistit, quomodo in Ecclesia se esse confidit?

§. 5. Hæc vero egregia eorum in Ecclesiam fides, singularisque in propugnanda incorrupta ejus doctrina, et sacratissimis juriſſibus defendendis alacritas atque constantia, Deo quantopere fuerit grata; vel inde potest facile quisque intelligere quod Episcopos, quot in Christianissimi Regni ditione suas regunt Ecclesias ipse divino suo, sive tetigerit numine, ut fere omnes, quemadmodum accepimus, memorato Cleri vestri Generali conventui se adjunxerit, ejusque acta voluntate summa et publico testimonio comprobarint, et laudaverint; ipsa præterea Christianissimo Regi eam dederit mentem, ut loculentissimum ederet argumentum, quo animo omnium vestrum, et ipsius Ecclesiæ tutelam suscepit. Etenim pro ea qua maxime præditus est Religione, et in S. Ecclesiam, cujus gloria et amore, primos, qui sese statim exeruerunt adversus vos, et eandem Ecclesiam conatus, incunctanter, honorum omnium, quotquot Ecclesiæ Filij sunt absequentes, approbatione summa, omniumque laudum præconio, Regio edicto suo non dubitavit infringere.

Gallicanæ Ec-  
clesiæ constan-  
tia summo pere-  
Deo grata extitit, et Christianissimi Regis protectionem promeruit.

§. 6. Te vero Venerabilis Frater Apostolica Nostra laude non existimamus fraudandum, qui tuam voluntatem cum religiosissimorum Antistitum voluntatibus conjunxisti. Te amamus, quod ad Nos non eorum acta modo, sed etiam tuas literas perferendas curasti, quæ diserte Nobis nunciant, te ad omnia paratum esse pro Christo: te denique in Domino rogamus et absecramus, qui præclaro Episcoporum conventui ut præesses disposuit divina dignatio, ne committas ut tentationibus aut avocatus aut victus, quod ait Martyr Cyprianus in medio laudis et gloriæ itinere desistas nec quidquam tibi præstabilius, quam quæ sanctæ Nobis promittis, ut alacriter impleas; ac præcipue, qua vales plurimum apud Christianissimum Regem gratia, illam ut polliceris, ad sustendam Christianam Religionem nunc maxime ab impijs labefactam, defendendamque Catholicam Fidem adhibeas; sic enim quam bene gessisti, bene itidem rem gerens in posterum, eorum non modo comprimes voces, quos non obscure indicas tibi forte obtrectasse, sed etiam prudentibus humanarum actionum æstimatoribus, et qui ubi de Religione agitur jure omnia redigunt.

Rhemensem Antistitem Parisiensium Comitiarum Præsidentem speciali prosequitur laude.



ad acerrimam normam abunde satisfaciens, omni te prædicatione dignum exhibebis; tuæque virtuti debitas ab ijs referens laudes, non humano præconio sublatum animum gerens, sed tamquam ab eo, qui te divina virtute sua, et gratia adjuverit commendatus, jure poteris in Domino gloriari; et Fraternitati tuæ intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xx. Novembris MDCCLXV Pontificatus Nostri anno octavo.

## DIV.

Confirmatur resolutio Diffinitorii Provinciæ Castellæ, Legionis, et Navarræ Ordinis SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, qua statuitur ut in posterum Ministri eorum, qui huic resolutioni assensum præbuerunt, eligantur in Capitulo Provinciali.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

**§. 1. Militantis Ecclesiæ regimini** per abundantiam Divinæ bonitatis, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio præpositi illa, quæ pro felici, prosperoque Religiosorum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutorum, ac uberis honorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium gubernio, et progressu provide, sapienterque constituta, et ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistent, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus.

**§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper** fecit dilectus filius Fabianus Rodriguez tam olim, quam nunc Minister Provincialis provinciæ Castellæ, et Legionis, et Navarræ, atque adnexorum, Ordinis SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod ipse pro bono, ac felici ejusdem Provinciæ gubernio, et decore in ea primum Collegium Curatorum instituit, mox vero, ut abusus, qui occasione electionis Ministrorum uniuscujusque Conventus Provinciæ hujusmodi irreperant, penitus avertantur, ejusdem Diffinitorio Provinciali serio considerandum, ac disquirendum propo-

suit, num melius, et magis expediens foret, quod electio Ministrorum localium cujusque Conventus dictæ Provinciæ in posterum perageretur, prout usque adhuc peracta fuerat a Fratribus singulorum Conventuum, vel potius prædicta electio fieri debeat in Capitulis Provincialibus, quippe quia unus, vel alter eligendi modus præscribitur a Constitutionibus dicti Ordinis, Apostolica auctoritate confirmatis. Diffinitorium vero Provinciale, re mature perpensa, mandavit, ut prævio consensu præstando a Fratribus Conventuum dictæ Provinciæ, electio Ministrorum localium uniuscujusque Conventus in Provincialibus Comitibus peragenda esset, nonnullis additis conditionibus, ut liquet ex ipsa Diffinitorii Provincialis resolutione, cuius tenor est, qui sequitur, videlicet.

» Die vii. Augusti Anno MDCCLXIII.  
» Rev. Diffinitorium congregatum in Provinciali Cella hujus Matritensis Conventus, ut de gravioribus negotiis, » ad majorem Dei honorem, et gloriam, ac bonum in spiritualibus, et » temporalibus hujus Provinciæ Castellæ, Legionis, et Navarræ Ordinis » SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum conducentibus ageret; et signanter, ut disquireretur, num melius, et magis expediens foret, quod » Localium Ministrorum electiones a » a Conventibus ipsis peragantur, prout » hactenus et de præsentibus explentur; » an vero congruentius futurum sit, quod » eæ futuris temporibus in Capitulis Provincialibus fiant, ad tramites Constitutionum Ordinis Lib. I. Cap. XXXIV.  
» Postquam hac super re diu, multumque tractatum fuerat, perpensis » rationibus, et absurdis, quæ utrinque occurrunt, aut occurrere possunt, » resolvit, ac statuit committere, et » mandare Adm. Rev. P. Ministro Provinciali, ut, prævio consensu a Conventibus præstando, hujusmodi Ministrorum Localium electionibus in » Provincialibus Comitibus peragendis, » curet supplicari SSmo Domino Nostro Summo Romano Pontifici, ut » eas in posterum sic expleri, sua Apostolica auctoritate statuatur, atque decernat; sequentibus tamen sub conditionibus, et non alias, aliter, nec » alio modo.

» I. Conditio ea sit, quod Electorum numero a nostris Constitutionibus Lib. I. Cap. XXXIV. §. I. stabilito adjiciantur duo ex PP. Magistris, qui Provincialibus Comitibus intersint, in Magisterii nimirum gra-

Tenor resolutionis Diffinitorii Provincialis.

Dat. die 20  
Nov. 1765.  
Anno VIII.

Proemium

Pro meliori bono ac felici hujus Provinciæ gubernio, censuit Diffinitorium Provinciale, ut electio Ministrorum Conventuum fiat in posterum in Comitibus Provincialibus.

» du antiquiores, item unus Præsentatus, ac unus Prædicator Generalis, in suis respective gradibus pariter antiquiores: ut scilicet horum in Electorum numerum adlectione, is uadem Eligentibus componatur. Et sicut ex ejusdem Ordinis Constitutionibus, septem, qui ibi assignantur, Electores, voce passiva ad Ministeriatu obtinendos, privantur; ita quoque hujusmodi privatio ad alios quatuor, ut præfertur, adlegendos extendatur.

» II. In Ministros eligendi ex undecim superius assignatis Electorum suffragiis, octo, et non minus, obtineant.

» III. Ad confusiones, et electionum retardationes evitandas cavetur, quod si in primo scrutinio (omnia autem scrutinia per secreta suffragia indispensabiliter fiant) nemo octo habeat suffragia, in iterandis scrutiniis in duos tantum suffragia ferantur, qui in priori plura retulerint.

» IV. Vacante per cessum, aut decessum, privationem, aut assequutionem, vel promotionem alicujus Conventus Ministerio, illius Communitas Ministrum eligat, qui regat usque ad tunc proxime futurum Provinciale Capitulum, eodem modo, qui hactenus servatus est.

» V. A præfatis Capitularibus Electoribus reelegi valeant in Ministros, quos Conventibus utiles, ac proficuos fore judicaverint, præscripta in Decreto Sacre Congregationis Episcoporum et Regularium Die XXX. Maii Anno MDCLIX. in Nostrarum Constitutionum Codice pag. DXLVII. expresso, exacte servant.

Magister Fr. Fabianus Rodriguez Minister Provincialis.

Magister Fr. Didacus a Cruce Primus Definitor.

Fr. Franciscus Fernandex de Quevedo Secundus Definitor.

Fr. Josephus Valdenebro, et Tapia Tertius Definitor.

Fr. Joannes de Turre Quartus Definitor.

Ita est Fr. Emmanuel Colina Provincie a Secretis.

Sequitur Decretum Congregationis Episcoporum et Regularium.

» Sacra Congregatio Emorum, et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, attento Voto Emi Caracciolo de Santo Bono præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Emi Fe-

» roni Ponente, censuit, si Ssmo Domino Nostro placuerit, per suas literas Apostolicas in forma Brevis, præfatam resolutionem Diffinitorii Provincialis, in qua Religiosi viginti, et unius Conventuum libere consensum præstiterunt, cum suis conditionibus approbari, et confirmari posse; Ita tamen, ut quatuor adjuncti Diffinitorio Provinciali in electione Ministrorum voce passiva careant, eodem ferme modo, qui caret alii septem Diffinitorii Provincialis; Et duo Conventus, qui consensum non præstiterunt, sibi valeant, ut prius Ministros eligere, injuncto tamen, ut in simplicitate, et puritate Regulæ electiones peragant, præscripta in Cap. 55. Constitutionum rigoroſe observando; quod Breve publicandum, et acceptandum erit in quolibet Conventu per duas ex tribus partibus Religiosorum, etiam Conventuum, qui consensum accommodarunt ad majorem, et tranquillorem resolutionis firmitatem. Romæ 27. Septembris Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, duobus exceptis Conventibus dictæ Provincie Matritensi scilicet, et Conchensi, reliqui omnes, vel de communi consensu, vel majori suffragiorum parte, probaverint, et collaudaverint hujusmodi resolutionem Diffinitorii Provincialis, hinc, ut firmus ipsa subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis robore dictus Fabianus Provincialis communiri summopere desiderat.

§. 4. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrarum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii Nostri Joannis Constantii S. Cæsarei S. R. E. Diaconi Cardinalis Caracciolo de Sancto Bono nuncupati apud Nos, et Apostolicam Sedem ejusdem Ordinis Protectoris super præmissis factam attenderunt, consilio, prædictam resolutionem Diffinitorii Provincialis, cui Fratres viginti unius Conventuum dictæ Provincie assensum libere præstiterunt, una

Preces portate pro Apostolica confirmatione superioris resolutionis.

Pontifex resolutionem Diffinitorii Provincialis, et Decretum Sacre Congregationis Episcoporum, et Regularium confirmat, et approbat.

Tenor Decreti S. Congregationis Episcoporum et Regularium quo superior resolutio approbatur.

cum additis in ea conditionibus, ita auctoritate Nostra Apostolica tenore presentium approbamus, et confirmamus, ut quatuor Fratres adjuncti Diffinitorio Provinciali in electione Ministrorum voce passiva careant, eodem ferme modo, quo illa carent alii septem Fratres Diffinitorii Provincialis, atque insuper, ut duo Conventus Matritensis scilicet, ut Conchensis, qui consensum dictæ resolutioni non præstiterunt, sibi valeant, ut prius Ministros eligere, sed electiones hujusmodi peragere ipsi debeant in simplicitate, et puritate Regulæ, servata forma præscripta in Capit. XXXV. Constitutionum Ordinis hujusmodi. Demum ad majorem dictæ Provinciæ quietem, et tranquillitatem, ut præsentibus Nostræ literæ si et postquam a quolibet Conventu præfatæ Provinciæ, qui jam consensum suum præbuerunt, denuo assensus per duas ex tribus partibus Fratrum resolutioni Diffinitorii Provincialis hujusmodi præstitus fuerit, executioni demandentur, ac in futurum omnimoda observatione custodiantur, volumus, decernimus, et mandamus.

Clausula sublatâ, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sic in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, et Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inser-

tis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Novembris millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri Anno octavo.

DV.

Dat. die 23 Novembris 1765. Anno VIII.

Se confirmaturum Constitutiones Congregationis Canonorum Regularium B. M. V. de Cancellata signi fiat Abbati prælandatæ Congregationis.

Dilecto Filio Joanni Ludovico Panchenal Abbati Congregationis B. M. V. de Cancellata.

Clemens PP. XIII.

Dilecto Fili salutem, et Apostolicam benedictionem

**S**cripsimus Venerabili Fratri Episcopo Petragoricensi, qui te tuamque Congregationem Nobis majorem commendavit in modum, Constitutiones ejusdem Congregationis abs te missas dudum Nos accepisse, earumque examen instituisse. Illas ejusmodi esse cupimus, quæ a Nobis probavi possint, et confirmari. Quod ad reliquum attinet Epistolæ tuæ, dilecte Fili, Regularem observantiam, et disciplinam apud Vos, ut scribis, vigere gaudemus, et quod neminem umquam inter Vos ad hanc diem errorum hujus temporis infecerit labe, id universæ Congregationi tuæ vehementer in Domino gratulamur. Ipse quidem a Nobis quæcumque ad augendas spirituales Congregationis tuæ utilitates pertinent, Apostolica officia tibi polliceare; et quo vestra in hanc S. Sedem firmior fuerit, et constator fides et obedientia, flagrantque apud vos ferventiora in dies studia pietatis, eo animum Nostrum ad vos fovendos adjuvandosque promtorem fieri comperies. Tibique benevolentiae Nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramante impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die xxiii. Novembris MDCCLXV Pontificatus Nostri Anno octavo.

Dat. die 7. Decembris. 1766. Anno VIII.



DVI.

Clementis Regii Poloniæ Principis e Ducibus Saxonix penes Bavarix Ducem officia requirit ne causa Decimarum Collegii Neoburgensis Societatis Jesu trahatur ad seculare forum.

*Vide Epistolam hac super ipsa decimarum causa perscriptam Bavarix Duci, et a Nobis relatum hoc Tomo III. sub Num. CDXV. pag. 7.*

Dilectissimo in Christo Filio Nostro Clementi Regio Poloniæ Principi e Ducibus Saxonix electo Episcopo Frisingensis et Ratisponensi.

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

Poloniæ Principis laudes.

§. 1. Sequi egregium in Ecclesiam studium voluntatemque tuam ex pluribus manifestisque indiciis subinde cognovimus, rem tibi nunc proponimus, in qua si dexteritatem, solertiam, et qua apud dilectissimum in Christo Filium Nostrum Maximilianum Josephum Bavarix Ducem plurimum vales, gratiam sic adhibeas, ut ab Ecclesia vis depellatur, quæ illi infertur in causa mere laica ab ejus Principis Administris, nihil unquam fortasse prestiteris, in quo plus tibi vel laudem tribuamur ampliorem.

Comemorat Epistolas alias perscriptas Bavarix Duci super hac ipsa decimarum causa.

§. 2. Scripsimus ante hos septemdecim menses memorato Principi, ne trahi pateretur ad Laicorum judicium causam Decimarum Collegii Noburgensis Societatis Jesu, eumque rogavimus, ut juberet, Consilium suum ad Ecclesiasticum judicem, ut æquum est, ejus causæ cognitionem rejicere. Sed nihil quidquam aliud per eas Litteras consequuti sumus, quam quod longo tempore Epistolam ejus excepimus, in qua complures congregabatur rationes quamobrem judicium ejusdem causæ existimabat ad Laicam pertinere potestatem. Quædam deinde inciderunt, quamobrem ea de re non fuit opportunum a Nobis illi denuo literas dare. Ex quo Nostro silentio pars Collegio Noburgensi adversa sumsit veluti argumentum, Nos et Apostolicam Sedem rationibus in epistola, quam supra diximus, deductis denique conquiescere. Nec defuerunt, qui Litteras Nostras ad Principem dicitaverint Clericos Regulares Societa-

tis Jesu per subreptionem, et obreptionem a Nobis abstulisse. Quod omnino longissime abest ab re ipsa et veritate.

§. 3. Etenim de eadem causa Apostolicæ Sedi notissima jampridem felicitis record. prædecessor Noster Benedictus XIII cl. me. Maximilianum Ducis Maximiliani Josephi Avum sedulo monuit, ut illi laicali judicio cursum præcideret; quibus ejusdem Benedicti XIV Literis Maximilianum fuisse commotum inde conjecturam facimus, quod altum ea de re silentium sit consequutum.

§. 4. Quamobrem te hortamur dilectissime in Christo Fili Noster in Domino et obsecramus, ut omnia studia tua apud memoratum Ducem adhibeas et officia, quo tanta hæc ab Ecclesia depellatur injuria. Fecit id Dei et honoris Ecclesiæ zelo flagrantissimus Venerabilis Frater Josephus Episcopus Augustanus, qui datis ad memoratum Ducem literis illi studuit persuadere, litem hanc ejusmodi esse, quæ non ab alio quam ab Ecclesiastico Judice sit dirimenda. Nec tuæ in hac re alienæ sunt partes, qui Ordinariam habes jurisdictionem in eo loco ubi Decimæ quas supra memoravimus in disceptationem vocantur et controversiam quam in tua jurisdictione ad Laicorum trahi judicium, perpeti æquo animo plane non potes, totam autem rem hanc non deerit qui sedulo te doceat diligenter ut ad hoc pertractandum negotium accedas quam paritissimus. Quidquid autem in hanc rem contuleris officii, sedulitatis, et studii, id velimus existimes in Nos et Sedem Apostolicam contulisse. Tibique dilectissime in Cristo Fili Noster flagrantissimo Nostris cordis affectu, Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Decembris MDCCLXV. Pontificatus Nostris Anno Octavo.

Etiam Benedictus XIII quoad ipsam Decimarum causam cum Ducis Bavarix Avo egerrat.

Officia provocat hujus Principis in hac causa eo magis, quod Ordinaria pollet jurisdictione in loco ubi decimæ persolvende sunt.



DVII.

Dat. die 7.  
Dec. 1765.  
Anno VIII.

Poloniæ Regi respondet postulanti alterius Suffraganei constitutionem in Diœcesi Uladislaviensi.

Stanislao Augusto Poloniæ Regi Illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

**U**beriore in dies Nobis præbet laudandi tui materiam, Nostramque erga te charitatem mirum in modum exauget ista de Catholicæ Religionis incolumitate in Regno tuo assidua cura, et sollicitudo. Egregium istiusmodi studium Majestatis tuæ, vel ex proximis literis tuis apparet, quibus negotium de altero Suffraganeo, in Uladislaviensi Diœcesi constituendo Nobis commendasti. Nos ea de re scribi iussimus Ven. Fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino Nostro, et Apostolicæ Sedis apud vos Nuncio; ut de omni hoc negotio quo recto et legitimo ordine dirigatur ut mos est diligenter cognoscant. Ceterum ejus literas interea expectantes, speramus rem tuam felicem exitum habituram. Nobisque facultatem fore declarandi tibi quanti ponderis apud Nos sit Regiæ Majestatis tuæ in rebus omnibus commendatio. Tibique carissime in Christo Fili Noster, intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem amantissimæ impertimur, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Decembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DVIII.

Dat. die 9. Decbr. 1765.  
Anno VIII.

De eodem argumento agit cum Episcopo Uladislaviensi

Venerabili Fratri Antonio Episcopo Uladislaviensi

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem

**D**e altero Suffraganeo in tua Uladislaviensi Diœcesi constituendo rem  
*Bull. Rom. Tom. III.*

omnem Congregationi Consistorialibus Rebus præpositæ examinandam commissimus, ejusque sequuti consilium iussimus isthic Ven. Fratrem Archiepiscopum Ephesinum de causis quomobrem alter tibi Suffraganeus sit creandus, et de dilecti Filii Cypriani Woliccki moribus, doctrina, ceterisque animi dotibus legitime, ut moris est, diligenterque cognoscere, Non dubitamus quin omnia in processu quem instituet, depræhensurus sit plane cum iis convenientia, quæ in supplici libello Nobis dato fuerunt exposita. Ceterum studium sollicitamque Fraternitatis tuæ curam magnopere laudamus, qua Catholicis in Pomerania commorantibus cupis esse consultum, ne iis ea desint subsidia, quibus est opus ad eorum fidem et in vera Catholicæ Religionis pietate sustentandam confirmandamque constantiam. Tibique Venerabilis Frater eximine erga te benevolentix pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vii. Decembris MDCCLXV Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DIX.

Dat. die 7. Decbr. 1765.  
Ann. VIII.

Episcopo Goritiensi gratulanti pro evulgata constitutione confirmatoria Instituti Societatis Jesu respondet, eique ejusdem Societatis merita commemorat.

*Vide supra Epistolas relatas sub n. DIII, et adnotationem in ea appositam*

Venerabili Fratri Carolo Michaeli Archiepiscopo Goritiensi

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem

§. 1. **Q**uod plurimi fecerunt per hos aliquot menses Venerabiles Fratres Episcopi ut Nobis sint gratulati, Constitutionem, quam ad tuendum Apostolicæ Sedis, atque adeo universæ Ecclesiæ de Instituto Soc. Jesu iudicium edidimus, idem Nobis præstari voluit officium Fraternitas tua, cujus literas ea de re gratulabundas magna legimus voluptate. Illud autem Nobis est jucundissimum, quod commemoratis cladiibus, quas superiori ætate in istis Regionibus concepit Catholica Religio,

U



scribis te, cum sacram tuæ Diœcesis visitationem obires volutandis Aquilejensis Ecclesiæ monumentis comperisse e tribus Collegiis Soc. Jesu, quæ tamquam propugnacula irruenti hæresi objecit fel. Rec. prædecessor Noster Clemens VIII, Apostolicos viros prudentes brevi temporis intervallo ab omni errorum labe omnem regionem vestram, Dei gratia adjunctrice et comite absterxisse: Nunc autem eosdem Clericos Regulares majorum suorum vestigia persequendo, nihilo se illis exhibere inferiores et sanctificandis Fidelibus strenuam isthuc operam dare, quod quidem incredibilem Nobis consolationem affert, magnamque tibi Ven. Frater Nos debere profiteremur gratiam cum hoc tuo gratissimo literarum officio Nobis de tanto Ecclesiæ tuæ bono notitiam dederis, quæ spirituali jucunditate Nostrum animum plane complevit. Et Fraternitati tuæ eximiæ erga te benevolentia Nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DX.

Facultatem facit Collegio, et Conventui Toletano Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo antiquæ Observantiæ concedendi Lauream Doctoralem Magistris dicti Ordinis.

*Literæ Apostolicæ Urbani VIII diei 26 Augusti 1634 quibus largiendæ Doctoralis Laureæ privilegium concessum fuit Conventui Salamanticensi hujus Ordinis, adsunt in collectione Mainardii.*

Dilecto Filio Mariano Ventimiglia Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo antiquæ observantiæ Priori Generali.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili salutem,  
et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Bernardus Regidor Sacerdos expresse professus, et Socinus, ac Secretarius Generalis Hispaniarum Ordinis

dis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo antiquæ Observantiæ, quod juxta Constitutiones dicti Ordinis, Apostolica auctoritate confirmatas, ii qui gradum Magistri in eodem Ordine obtinent, Doctoralem Lauream in aliqua Universitate approbata assumere tenentur; verum quia Laureæ hujus doctoralis assumptio non læves sæcum ferebat impensas, hinc fel. rec. Urbanus Papa VIII. prædecessor Noster per alias suas in simili forma Brevis die xxvi Aug MDCXXXIV. expeditas literas Collegio Salamanticensi concessit, et indulgit, ut Lauream Doctoralem hujusmodi dictum Collegium conferre posset Fratribus ejusdem Ordinis tam Hispaniarum, quam Portugalliæ, et prout in dicti Urbani prædecessoris literis uberius dicitur contineri.

2. Aliæ postmodum Ordinis, et Regnorum prædictorum Provinciæ ad evitandas itidem majores impensas, hujusmodi facultatem ad eorum respective Collegia extendi ab Apostolica hac Sancta Sede, ut asseritur, obtinuerunt; præ cæteris vero Provincia Cataluniæ dicti Ordinis propterea quia longe distat a præfato Collegio Salamanticensi ex decreto edito a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita die v Februarii MDCXXL. prædictam facultatem sibi concedi, ut pariter asseritur, obtinuit.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in Provincia utriusque Castellæ Ordinis prædicti Magistri, qui Lauream doctoralem in eodem Collegio Salamanticensi assumere tenentur non læve propter illius distantiam sentiant incommodum, gravesque præterea subeant impensas, ad hæc omnia avertenda idem Bernardus exponens, quemadmodum in aliis quoque Provinciis ejusdem Ordinis duo, ac etiam in illa Aragoniæ tres Conventus, ut asserit, designati reperiuntur pro conferenda hujusmodi Laurea Doctorali Fratribus dicti Ordinis, ita in Provincia utriusque Castellæ, præter Collegium Salamanticense, facultatem hanc concedendi lauream doctoralem Fratribus, et Magistris ejusdem Ordinis, Collegio quoque Toletano per Nos indulgeri plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis oportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 4. Nos igitur eundem Bernar-

Conventui Salamanticensi

Etiam aliis Conventibus privilegium idem ampliatum ex decreto S. Congregationis Episcoporum, et Regularium.

Preces portatæ pro extensione Pontificii indulti ad Conventum Toletanum.

Precibus annui Pontifex

Hoc idem privilegium indultum jam fuerat ab Urbano VIII.



petitam extensionem concedendo.

dum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione Venerabilis Fratris Josephi Archiepiscopi Petrensis Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositæ Secretarii, Discretioni tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam facultatem concedendi Lauream Doctoralem Fratribus, et Magistris dicti Ordinis ab illius Constitutionibus requisitam præfato Collegio, et Conventus Toletano, pro tuo arbitrio, et conscientia, Apostolica Nostra auctoritate tenore præsentium concedas, et indulgeas.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicæ Nuncios, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit Ordinis, et Provinciæ prædictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac

de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima septima Decembris Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXI.

Dat. die 4 Janu. 1765. Anno VIII.

Quanta sit sedulitate curandum Pontifex significat Episcopo Præmisliensi ne Ecclesiæ novis vectigalibus graventur a laica potestate.

Venerabili Fratri Valentino  
Episcopo Premisliensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater  
salutem, et Apostolicam benedictionem

**D**e adimendis Ecclesiæ decimis, novisque illi vectigalibus imponendis scribit Fraternitas tua isthic apud vos agitari consilia; teque ea de re vehementer esse sollicitum ex literis tuis facile perspeximus. Non putamus te, et Coepiscopos collegas tuos, Nostra ege re cohortatione, quo illud intentos oculos habeatis, ne quid in talibus consiliis obrepet erroris, neve qui hæc movent, dum patriæ consultum volunt, inscii et imprudentes Ecclesiæ et Reipublicæ noceant. Iis enim minime dubitamus cordi esse incolumitatem Catholicæ Religionis, vestrum autem est, ut illis, quod facile est, demonstratis, quam sit periculosum Ecclesiarum, quas quotidianæ vitæ necessitas postulat, divini etiam cultus vel retinendi vel propagandi necessarium instrumentum esse pecuniam. Et ipsa experientia compertum est, cum pauperes inopesque fuerint res Ecclesiarum, in Regno Dei amplificando minimum profici, ac plerumque contingere, ut in pascendo Dei grege Sacri Pastores, si quas oves vel a deviis semitis retractas, vel a venenatis pascuis amotas velint, si difficultate rei nummaria teneantur, frustra quemvis laborem sumant. Tu vero pro virili parte in id Venerabilis Frater incumbe, ne quid damni faciat Ecclesiastica res, neve quidquam oneris

vobis imponatur, Sacrorum Canonum sanctionibus reclamantibus. Nos Apostolicis officiis studiisque Nostris ubi iis vobis opus esse exirtimetis, ut in ceteris omnibus sic in hac te non deerimus adjuvare. Et Fraternitati tuæ eximiae erga te benevolentiae Nostræ pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die quarta Januarii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Dat. die 4. Janu-  
uar. 1766. An-  
no VIII.

## DXII.

Mariæ Theresiæ Cybo Estensi Massæ Principissæ postulanti Episcopalis Cathedralæ erectionem in Civitate Massæ respondet Pontifex, negotium examini prudentium virorum commississe.

Dilectæ in Christo Filiae Nobili Mulieri  
Mariæ Theresiæ Cybo Estensi

Clemens PP. XIII.

Dilecta in Christo filia Nobilis mulier  
salutem,  
et Apostolicam benedictionem

**E**gregium tuum in Religionem studium singularemque de populo tuæ ditioni subjecto benemerendi voluntatem ex literis Nobilitatis tuæ facile perspeximus; quibus negotium urges de Episcopali Cathedra Massæ constituenda, et cum Sarzanensi et Lunensi jungenda, in quo dilectissima in Christo Filia Nobilis Mulier, tuam istam laudamus curam, qua Massensis populi tui pietatem augere, eique parare stude ornamentum et decus, sed cum ejusmodi res sit, quæ non minimam cautionem habet, eam examinandam commissimus Viris doctrina et prudentia præstantibus, quos in consilium in talibus negotiis prudentia postulat adhiberi et Nobis tuæ charitatis erga te Nostræ pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV Januar. MDCCLXVI Pontificatus Nostri Anno octavo.



## DXIII.

Dat. die 10.  
Jan. 1766 An-  
no VIII.

Demandatur observantia Apostolicarum Constitutionum, ne liceat defunctorum sepulturam permittere in Cæmeteriis Ecclesiarum Monialium Cappuccinarum in Civitate Guatimalæ.

Venerabili Fratri Episcopo  
Guatimalensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ Moniales Ordinis Sancti Francisci Cappuccinæ nuncupatæ Civitatis Guatimalensis, quod nonnulli devotionis causa de licentia suorum Superiorum exoptant eorum cadavera sepeliri, non solum in Cæmeteriis sitis subtus earum Ecclesiam, verum quoque sub inferiori Choro, et in proprio Cæmeterio dictarum Monialium. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hæc omnia adversentur Constitutionibus Apostolicis, et præsertim Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, ac inde plura, quæ non conveniunt ipsarum regulari, et strictæ observantiæ, et incommodum ipsis afferre solent, obviant. Nobis propterea dictæ Moniales humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Preces porrectæ pro observantia Constitutionum Apostolicarum quoad defunctorum sepulturam.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut dictas Constitutiones exequi, et omnino servari auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium præcipias, nec quidquam in contrarium attentari, ac præsumi pro tua prudentia, et Ecclesiæ Dei zelo, ac quiete, et bona directione earundem Monialium permittas.

Pontifex Episcopo Guatimalensi injungit observantiam Apostolicarum Constitutionum quoad sepulturam defunctorum.

§. 3. Non obstantibus quibuscumque in contrarium generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinatio-

Derogatio contrariorum.

nibus, nec non dicti Monasterii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Januarii millesimo septingentesimo, sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri Anno octavo.

## DXIV.

Dat. die 16. Janu-  
nar. 1766.  
Anno VIII.

Quod Patriarcha Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumi debeat in altero immediate sequenti Consistorio eique Titulum Cardinalium assignari mandat.

Clemens Episcopus  
Servus Servorum Dei  
Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. **I**nter precipuas Apostolici Ministerii partes, eam esse longe gravissimam Nobis injunctam intelligimus ut Hierarchiam, Divina ordinatione in Catholica Ecclesia institutam, non solum semper stabilem custodire, ac conservare, verum etiam majoribus gloriæ, ac splendoris incrementis cum hoc ad Divini honoris cultum magis adaugeadum et Catholicæ Ecclesiæ decus maxime promovendum plane redundatura fore in Domino prospicimus, et confidimus Apostolica sollicitudine ac providentia cumulare satagamus.

§. 2. Itaque cum Venerabilis Frater Patriarcha Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis iis insignibus, et prerogativis ab felicis recordationis Clemente XI, et Benedicto XIII Romanis Pontifici-

Censet Patriarcham Ecclesiæ Ulixbonensis occidentalis inter S Romanæ Ecclesiæ Cardinales 21.

bus prædecessoribus Nostri, primum ornatus fuerit ut profecto inter Ecclesiasticos Præsules et Antistites plurimum excellat, hinc est, quod nos etiam congruum, et consentaneum propterea fore existimamus si Patriarcha prædictus per laudabilem providentiæ, et indulgentiæ rationem, qua Apostolica hæc Sancta Sedes quantum comode fieri potuit in assumendis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus habere consuevit erga Orthodoxas Nationes, inter eosdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Carnales, etiam per antedictæ Providentiæ anticipationem in posterum adnumeretur quemadmodum ipsum quoque carissimum in Christo Filium Nostrum Joannem Portugalliæ, et Algarbiorum Regem illustrem, de Catholica Religione multis nominibus, ac præsertim ob eximiam pietatem, ac constantem fidelissimamque erga Apostolicam hanc Sedem toties probatam observantiam, ac singularem sollicitudinem, studium, zelumque in pro tuenda propagandaque ad instar omnium Portugalliæ, et Algarbiorum Regum prædecessorum suorum apud barbaras remotissimasque gentes catholica fide meritissimum ac propterea omnibus Apostolicæ liberalitatis documentis dignissimum id ipsum sentientem desiderare accepimus.

§. 3. Quamobrem motu proprio Nostro, et Successorum Nostrorum, et Sedis Apostolicæ nomine de nonnullorum etiam Venerabilium Fratrum, Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio concedimus, et indulgemus ut, memorata erga Catholicas Nationes Providentiâ suffragante in Consistorio provisus, et electus pro tempore Patriarcha Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, qui alioquin peculiaria, juxta constitutiones Apostolicas ad Cardinalitiam dignitatem requisita habere debeat in amplissimum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatam, in altero immediate sequenti Consistorio cooptetur, eique suo tempore servataque, consueta forma unus ex titulis Cardinalitatis assignetur, juxta Constitutionem felici recordationis Sixti Papæ V. Quod si nulla adsit eadem Catholicis nationibus impertiendi Apostolicæ benignitatis gratia opportunitas, tamen per anticipationem etiam non semel, et quoties opus fuerit faciendam, in Sacrum Cardinalium Collegium adscisci, ea quidem lege statuimus, ut quoties vigore presentium laudatæ Apostolicæ beneficentiæ testimonia acceperit natio Lusitana, toties nulla eidem obsecundan-

sumendum ipso Portugalliæ, et Algarbiorum Rege annuente.

Motu proprio decerni Patriarcham Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis in Consistorio electum in amplissimum S. R. E. Senatam in altero immediate sequenti Consistorio esse cooptandum.

di ratio habeatur cum opportuna gratificandi aliis nationibus aut Pontifici ipsi, qui Patriarcham Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem declaraverat aut sibi succedentibus pro tempore summis Pontificibus sese obtulerit occasio.

Declaratur quo casu huic Patriarchæ jus est Cardinalitiam dignitatem assequendi.

§. 4. Porro huic Pontificiæ Nostræ concessionem providentiæque motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris ac de Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine, tantummodo tunc locum esse statuimus cum supradictam Patriarchalem Ecclesiam Ulixbonensem vacare contigerit translationibus, et dimissionibus omnino exclusis, nisi tamen ad dimissionem admittendam causa adeo urgens publica, et necessaria sit, ut serio expensa, neque etiam per Suffraganei Antistitis subsidium Patriarchalis Ecclesiæ indigentis occurrere posset, atque in assueto eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consistorio, ac ab ipsis pro tempore Romanis Pontificibus comprobetur sicque futuris perpetuo temporibus a Nobis successoribusque Nostris servandam esse decernimus, et statuimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes, pariter easdem presentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis prædictæ Nuncios, aliosque quoslibet, quacumque præ eminentia, et potestate fungentes, et facturos, sublata eis, et eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et autoritate ubique judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis autoritate, scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis ac in generalibus Conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus super præmissis disponentibus, quas omnes quatenus præsentem constitutioni in aliquo adversentur derogamus; et pro plene, et sufficienter expressis habentes etiam si de illis specialis specifica, expressa, ac individua de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset omnino ahrogamus, abolemus, et annullamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem ut præsen-

tium literarum transumptis; seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Prælati vel personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Indulti, dationis, concessionis, derogationis, decreti, et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVI XYI. Kalendas Januarii Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Sanctio penalibus.

DXVI.



Causas evulgationis Apostolicæ Constitutionis, qua Institutum Societatis Jesu confirmatur, enumerat Archiepiscopo Sorrentino pro Constitutionis ipsius evulgatione gratulanti.

Dat. die 24. Januar. 1766. Anno VIII.

*Vide Epistolam relatam supra Num. III. et adnotationem in ea appositam.*

Venerabili Fratri Silvestro  
Archiepiscopo Surrentino

Clemens PP. XII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. Societatem Jesu et ante hos quinque annos a te Nobis commendatam meminimus, et nunc quod Constitutione Nostra ab injuriis, et contumeliis, quibus ab hominibus parum Deum timentibus jactata est, et jactatur, vindicatam esse lætari, gaudemus. Quod ea de re Nobis gratias agis gratulare potius Deo, qui eam Nobis dederit mentem, ut a fidelibus amoliremur gravissimum scandalum, qui si ingenio paullo sint infirmiore de Ecclesiæ sapientia, et judicio dubitare potuissent, et si diutius tacuissemus e silentio Nostro argumentum capere, prædecessores Nostros atque ipsam Ecclesiam male fidelibus consuluisse, cum



tam maleficæ Societati præcipuam sacri ministerii partem tribuerint. Sed eosdem prædecessores Nostros cum Instituto illud comprobaverint rem utique gessisse probant non modo Fraternitatis tuæ sed plurimorum etiam VV. Fratrum Episcoporum testimonia qui datis ad Nos literis sanctè affirmant, suas Diocèses ex ea Societate uberes fructus magnasque utilitates percipere. Ceterum in Domino confidimus, qui Ecclesiæ obsequentes filii sunt, ubi agatur, quid de Societate Jesu debeant existimare, non aliis, quam summo Ecclesiæ capiti, primariisque Pastoribus aures suas præbituros. Tu vero, Veni. Frater, facito ut quos fideles et impigros in excolenda vinea Domini operarios collaudas, tuo etiam patrocínio tueare. Et Fraternitati tuæ intimo Nostri Cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxiv. Januarij MDCCLXVI Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXVII.

Prævia confirmatione specifica præcedentium indulgentiarum concessarum Ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres de Urbe, quamplurimæ aliæ indulgentiæ elargiuntur eidem Ecclesiæ.

Clemens Episcopus  
Servus Servorum Dei  
Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Christianæ Fidei de Idolatriæ victa tyrannide triumphum, ita in Urbe Roma emicantem, ut quæ olim omnium gentium serviebat erroribus, facta fuerit omnibus Magistra veritatis, et Principis Apostolorum Cathedra intueutes, dum in humilitate Nostra omnipotentem Dominum, qui solus mirabilia fecit, enixe obsecramus, ut in diebus quoque nostris expugnet impugnantem Nos, fidem omnium munit, et in Ecclesia sua augeat pacem: ea loca primitus Diis gentium impia superstitione dicata, ubi quondam homines diabolica fraude decepti, sacrilegos persolventes honores, novis inquinabantur flagitiis; ut subinde cum juste, ac feliciter vero, æternoque Deo fuerint consecrata, Religioso Christianorum concursu celebriora semper redantur, ibique Fideles reatum expia-

tionem facilius inveniunt, prædecessorum Nostrorum exemplo edocti, celestibus Ecclesiæ thesauris, per amplius ditare muneris Nostri debitum in Domino arbitramur.

§. 2. Ineunte siquidem septimo Ecclesiæ seculo, cum Bonifacius PP. IV. prædecessor Noster, in Sanctorum numerum relatus, pervetustum illud, et celeberrimum Deorum omnium Fanum, quod Pantheon vocabatur, a Marco Agrippa solidissimo opere absolutum, expugnata solemnique sacroque ritu veteri macula, in Ecclesiam in Idus Mensis Maii Deo in honorem Beatæ semper Virginis Mariæ, et omnium Martyrum dedicaverit, plurimisque locupletavit Sanctorum Reliquiis; ab eo tempore adeo fideles a quacumque Mundi parte ad illud templum visitandum confluerunt, recurrente præcipue Dedicacionis die, ut a Gregorio PP. IV. etiam prædecessore Nostro ad occurrendum Peregrinorum commodo, aliisque Urbis opportunitatibus, illius celebritas ad kalendas Novembris translata fuerit, unde solemne Festum in honorem nedum Deiparæ Virginis, et Sanctorum Martyrum, sed et Beatorum omnium in Cælo cum Christo Regnantium, quod hodie Ecclesiæ per Orbem concelebrat, ex illius Dedicacionis translatione sumpsit exordium: Cumque subinde plerique prædecessores Nostri Romani Pontifices eandem Ecclesiam, quæ Basilica Sanctæ Mariæ ad Martyres nuncupari cæperat, in insignem quoque Collegiatam dudum institutam, variis prærogativis, honoribus, et gratiis etiam Spiritualibus cumulaverint, illamque sartam, tectamque tueri non omiserint et ad hæc usque tempora perseveret Romanorum Civium, et Peregrinorum ad Templum illud confluxus assiduus: Nos quoque eundem foventes zelum, ad commendatam Fidelium devotionem, religiosumque ejusdem Templi cultum magis augendum, illud uberioribus etiam Spiritualibus gratiis ditare decrevimus, ut ubi superstitio in animarum perniciem effræne debaccabatur, ibi Christiana Religio, et Ecclesiæ pietas erga Fideles splendidius eniteat.

§. 3. Verum, licet ambigendum non sit, et Fideles non ambigant, plurimis Spiritualibus Indulgentiarum gratiis eandem Ecclesiam a prædecessoribus Nostris fuisse donatam, maxime cum monumenta non desint, quibus iidem Nostri prædecessores, dum aliquam Ecclesiam spiritualibus gratiis ditatam voluerunt, ei indulgentias con-

Enumerantur  
munificentie  
prædecesso-  
rum Pontifi-  
cum favore hu-  
jus Ecclesiæ.

Que tamen  
munificentie  
et gratiæ tem-  
poris lapse me-  
morie excidere  
ex monumentorum deperitione.

Dat. die 28.  
Januar. 1766.  
Anno VIII.

cesserint ad instar Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae ad Martyres; attamen a dilectis filiis Capitulo, et Canonicis ejusdem Collegiatae Ecclesiae Nobis nuper expositum fuit, ob varias temporum in Urbe vicissitudines, et injurias, et Archivii ejusdem Ecclesiae peractas translationes, non omnes modo superesse de iisdem concessis gratiis praedecessorum literas.

Pontifex hic audita Sacra Congregatione Indulgentiarum, et S. Reliquiis praeposita veterum gratiarum confirmationi, novarumque concessionum designat desiderium.

§. 4. Nos, ne deinceps incertus quoquomodo putari queat Indulgentiarum thesaurus, quem in Templum illud praedecessores Nostri velut effuderunt, cunctisque perspectum sit, quas Indulgentias, et remissiones Fidelium quisque inibi lucrari poterit, supplicationibus eorundem Capituli, et Canoniorum Nobis super hoc porrectis benigne inclinati, quoque desiderio flagrant, ut Fidelium omnium Religio, cultusque in ipsa Ecclesia augeatur, ex voto dilecti filii Nostri Nicolai Tituli Sanctorum Nerei, et Achillaei S. R. E. Praesbyteri Cardinalis Antonelli nuncupati, Congregationis ejusdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiarum, et Sacris Reliquiis praepositae Praefecti, per dilectum etiam filium Magistrum Stephanum Borgia Nostri, et Sedis Apostolicae Notarium Prothonotarium nuncupatum dictae Congregationis a Secretis Nobis oblato, re accurate perpensa, supernoque impetrato auxilio, auctoritate Nobis a Domino tradita, de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, eas omnes in primis indulgentias, et penarum relaxationes, etiam Stationum, a praedecessoribus Nostriis visitantibus praedictam Ecclesiam alias concessas, et signanter, quae a Paulo III, et Gregorio XIII etiam praedecessoribus Nostriis, ad instar Sepulchri Dominici, Montis Sinai, et aliorum Terrae Sanctae nuncupatae Locorum, inibi visitantibus Cappellam Sancti Josephi Sponsi B. M. V. in perpetuum concessae fuere, quas subinde Alexander Papa VIII praedecessor quoque Noster animabus in Purgatorio existentibus per modum suffragii applicari posse indulget, harum serie cum facultate illas, ut praefertur, applicandi, specialiter, et expresse confirmamus, et approbamus. Declarantes tamen Indulgentias, et relaxationes hujusmodi non toties, quoties eadem die quis Cappellam ipsam visitaverit, sed semel quolibet die lucrari posse.

Enumerantur peculiare, quae conceduntur indulgentiae

§. 5. Ulterius, praeter plenariam Indulgentiam in Festo dicti Sancti Bonifacii PP. IV eandem Ecclesiam visi-

tantibus a Nobis nuper concessam; auctoritate praemissa omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, et confessi, sacraque Communionem refecti eandem Ecclesiam diebus infrascriptis, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, devote visitaverint, et inibi pro Christianorum Principum concordia, Haereticorum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, perpetuis futuris temporibus, misericorditer in Domino concedimus, videlicet = In Festo Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, et Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi, in Sacro Pentecostes die, ac Solemnitate SSimi Corporis Christi = In Festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis Beatae Mariae semper Virginis = Item in festis diebus Inventionis Sanctae Crucis, Sancti Josephi, omnium Sanctorum, ac primae Dedicacionis illius Ecclesiae die decima tertiae Maii. = Insuper in una ex feriis sextis Quadragesimae per unumquemque Christifidelium eligenda, et in Dominica infra Octavam Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, qua de Spiritu Sancti adventu proxime recolendo memoria in eadem Ecclesia celebratur; ac in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum = Itidem, omnibus, sive peragentibus, sive comitantibus solemnem supplicationem, quae a pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis ipsius Ecclesiae, die octavae Festivitatis corporis Christi publice deferendo SSimum Eucharistiae Sacramentum, peragi solet.

§. 6. Praeter autem praemissas Indulgentias, omnibus etiam Christifidelibus, qui septem Altaria in dicta Ecclesia designanda visitaverint, et ut supra oraverint, easdem prorsus Indulgentias, quae visitantibus septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum Urbis ad id designata concessae fuere; Ita ut ipsi quoque ibidem, perinde ac si Basilicam ipsam, seu respective illius Altaria in eadem sita, personaliter visitarent, Indulgentias ipsas consequi possint, et valeant, similiter concedimus, et indulgemus. Ita quoque, ipsi Capitulo tamen, et Canonicis, aliisque ipsius Ecclesiae servitio addictis, qui in diebus Stationum in Missali Romano descriptis, quando Statio in alia, quam praemissa Ecclesia habetur, eandem

Extenditur huic Ecclesiae indulgentia Septem Altarium nec non Stationum sed pro Capitulo tantum.



Ecclesiam visitaverint, atque ut supra oraverint, ut Indulgentias Stationales, perinde ac si Basilicam, vel Ecclesiam ubi ea die Statio habetur, personaliter visitarent, in primo dicta Ecclesia consequi veleant concedimus pariformiter, et indulgeamus.

Nonnullæ aliæ indulgentiæ enumerantur.

§. 7. Porro, cum variæ per annum in primodicta Ecclesia functiones, ac publicæ, communesque habeantur statis diebus preces, ut Fideles ad aliquod Festum recolendum sese præparent ad augendam ipsorum Fidelium devotionem, et fovendam piam hæc consuetudinem, omnibus itidem utriusque sexus Christifidelibus, qui in singulis ex decem diebus antecedentibus Festum Pentecostes, ac etiam in novem diebus præparationis ad Festum Sancti Josephi, pariterque in quolibet ex septem diebus commemorationem omnium Fidelium Defunctorum immediate subsequuntibus, ac in singulis feriis sextis Quadragesimæ, præter eam, quam quis ad plenariam Indulgentiam lucranda, ut præfertur, elegerit: ac insuper, qui in reliquis præter præmissas Beatæ Mariæ Virginis Festivitatibus, ipsam Ecclesiam a primis Vespèris usque ad occasum solis Festivitatibus hujusmodi devòte visitaverint, atque ut supra oraverint, diebus nimirum singulis septem annos, et totidem Quadragesimas de iunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino perpetuo relaxamus. Præterea, ut Ecclesiam ipsam amplissime, et cumulatius spiritualibus gratiis ditemus, iisdem Fidelibus ut supra vere pœnitentibus, et confessis, sacraque Communionem refectis, eam visitantibus, atque, ut præmissum est, orantibus, auctoritate Nobis, ut præfertur, credita, plenariam quotidie indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino perpetuis itidem futuris temporibus harum serie concedimus. Omnes autem, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac pœnarum relaxationes, tam plenarias, quam partiales a Nobis, ut præfertur confirmatas, concessas, et impertitas per quoslibet Fideles, qui eas lucraturi erunt, Animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, atque in Purgatorio extiterint, per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo generaliter concedimus.

Confirmantur quamplurima indulta Prædecessorum Pon-

§. 8. Demum cum in ipsa primodicta Ecclesia plura quotidie celebrentur Missæ Sacrificia, et, sicut accepit-

Bull. Rom. Tom. III.

mus, prædictus Gregorius XIII. prædecessor, Aram ejusdem Ecclesiæ principem, et post novam illius elevationem, jussu fel. record. Clementis Papæ XI. pariter prædecessoris Nostri factam, illam ex utroque prospecti similis memoriæ Benedictus Papa XIII. prædecessor quoque Noster snb die viii. Januarii MDCCXXVII. in perpetuum profunctis quotidiano privilegio insigniverit, similique prorsus prærogativa ipse Benedictus prædecessor per suas litteras in forma Brevis die xxi. Junii MDCCXXVII. Pontificatus sui Anno IV. Altare Sancti Josephi decoraverit; ac alias idem Clemens XI. pariter prædecessor die viii. Maii MDCCXXVII. per speciale decretum, Altare Reliquiarum nuncupatum secus aditum inter Chori aream, et sacrarium situm; pro Missis, quæ ad illud a solis ipsius Ecclesiæ Canonicis celebrarentur, itidem privilegium declaravit; Nos easdem Gregorii, et Clementis, ac Benedicti prædictorum concessiones singulas præsentibus pro plenius expressis, et integraliter insertis habentes, eas omnes auctoritate quoque Nostra harum serie confirmamus, et approbamus, novumque robur illis adjicimus: et quatenus opus sit de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, ex integro concedimus, et indulgemus, quod quoties Sacerdos aliquis sæcularis, vel de Superiorum suorum licentia Regularis, ad eandem Aram principem ex utraque parte, vel ad Altare Sancti Josephi, aut quilibet ex Canonicis præfatis ad dictum Altare Reliquiarum, Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro Animabus Fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migrarunt, celebraverit; animæ ipsæ de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequantur, itaut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, et Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis eis suffragantibus, a Purgatorii pœnis liberentur, Apostolica auctoritate præfata etiam concedimus, et indulgemus.

Clausula subla, et decretum irritans.

§. 9. Præsentes autem litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ defectu notari, impugnari, aut annullari, nec sub quibusvis Indulgentiarum, et gratiarum revocationibus compræhendi posse, sed illas semper, et perpetuo validas et efficaces esse, et fore, sublata cuilibet circa præmissa quavis aliter definiendi, declarandi, et interpretandi facultate,

et auctoritate, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel indignanter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra et Cancellariæ Apostolicæ Regula de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis specifica expressa, et individua, ac de verbo ad verbum mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse potestatis Nostræ plenitudine, derogamus, contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, quod eorundem præsentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ; quodque, ut ipsæ præsentibus omnibus innotescant, duo exemplaria etiam typis impressa ad latera janarum primordietæ Ecclesiæ perpetuis futuris temporibus palam exponantur, et appensa sint.

Sanctio penalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ confirmationis, approbationis, concessionis, indulti, impertitionis, declarationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentari præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXV. Quinto Kalendis Jannarii, Pontificatus Nostro Anno Octavo.



DXVIII.

Dat. die 29 Jannuar. 1786. Anno VIII.

Confirmatio resolutionis Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis, super observantia onerum adnexorum Canonicatibus Theologici, et Magistrali in Cathedrali Ecclesia Pacensi

Clemens Papa XIII.

Ad futurum rei memoriam

§. 1. Nuper Vener. Frater modernus Episcopus Pacensis, et dilecti filii Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiæ dictæ Civitatis exponi fecerunt Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quod eadem Ecclesia Cathedralis Pacensis duos præter cæteros habet Canonicatus, Theologalem scilicet, et Magistrallem, quem vacant de pulpito, quorum collatio ad Episcopum, et Capitulum pertinet; quodque pro tempore Canonicatus Theologici ab ejus erectione sequuta anno MDLXXVI. lectiones habuit de Theologia Morali, se de casibus Conscientiæ usque, ad annum MDCLXVII., quo elapso, sequenti anno Episcopus, et Capitulum decreverunt, ut Canonicus eligendus ex præscripto, et more quotidiano impenderet horam in lectione Theologiæ Moralis, et juxta hanc legem, dum Canonicatus vacavit, edicta affixa fuerunt, et novi Canonici de dicta Præbenda Theologica provisi ab anno MDCLXXXVII. jurejurando promiserunt, se susceptum munus expleturos secundum morem, et præscriptum editorum.

Enumerantur onera ab erectione adnexa Canonicatui Theologici.

§. 2. Verum ab eo tempore nemo ex Canonicis hujusmodi promissum munus implevit, sed anno MDCCXXXII. Canonicus Theologus contendere primum cœpit; se ad hujusmodi lectionem non teneri, quam deinde usque ad sui obitum omisit, ita ut vacante Canonicatu hujusmodi Anno MDCCLXII. dictus modernus Episcopus decreverit, ut is, qui Canonicatus lecturæ inserviret ad lectionem Theologiæ Moralis teneretur, ac proxime eligendus ad id compelli posset; verum dilectus filius Franciscus Toletus tunc provisor de Canonicatu hujusmodi, his præscriptis obtemperare recusavit.

Quæ tamen onera inobservata tractu temporis fuerunt.

§. 3. Hæc quidem quoad præbendam Theologalem; quoad Canonicatum vero Magistrallem dicti Episcopus, et

Enumerantur onera adnexa Canonicatui Magistrali.

Capitulum pariter memoratæ Congregationi exposuerunt, quod Canonicatus hujusmodi Anno MCCCCLXXIV. a rec. me. Sixto Papa IV. erectus, et a fel. rec. Leone Papa X. prædecessoribus Nostris confirmatus fuit, ac illius possessores prætenderunt ad solum Capitulum spectare, ut conciones habendas statueret, adeo ut triginta annorum spatio viz semel concio habita fuerit, quocirca, vacante modo Canonicatu hujusmodi, Episcopus, et Capitulum prædicti ab eadem Congregatione postularent, ut successores per se ipsos concionare deberent, dummodo legitima causa impediti non essent, saltem quadragesimali tempore, ac in octava Festivitatæ Sanctissimi Corporis Christi, et in aliqua ex festivitatibus principalibus, compræhensis illa S. Joannis Baptistæ, uti Patroni ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, seu Sancti Petri Principis Apostolorum, vel Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, juxta primam tabellam, quæ de more inchoatur a festivitate Corporis Christi, et desinit usque in adventum exclusive, et iterum alia vice pro secunda tabella ab adventu scilicet usque ad Festivitatem Immaculatæ Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, idest in aliquo die ejus octavæ, præter onus habendi alias conciones, quæ in convocatoriis edictis ad concursum juxta morem præfinirentur.

§. 4. Super muneribus itaque, et obligationibus utriusque Canonicatus Theologalis, et Magistralis concordiam animo tam Episcopus, quam Capitulum prædicti adiverunt eandem Congregationem, quæ prius censuit super his informationem ac votum exquirere a Venerabili Fratre Lazaro Archiepiscopo Naupaetensi apud carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Hispaniarum Regem Catholicum Nostro, et Sedis Apostolicæ Nuntio. Hic autem inter cætera retulit, quod a præfato Capitulo committi tantummodo soleant Canonico Magistrali aliquæ panegyricæ orationes in casu aut canonizationis Sanctorum, aut translationis eorum corporum, et reliquiarum, quæ sane omnia ab hinc annis triginta non evenerant, quodque dictus Episcopus præscribat illas orationes, aut sermones peragendos a dicto Canonico in diebus præscriptis in præfatis tabellis, excepto quadragesimali tempore, quo Canonicus Magistralis bis conciones habere deberet absque ulla dierum assignatione, ac præterea addidit, quod secunda tabella desinebat in Dominica quinquagesimæ, non autem

*Bull. Rom. Tom. III.*

in die Sanctissimæ Conceptionis, demumque animi sui sensum aperiendo putavit, quod, juxta expressa in edictis, provisos de dicto Canonicatu, obligationem contrahit semper concionandi quotiescumque id sibi committatur, quapropter justa videbatur supplicantium petitio.

§. 5. Propositis deinde in eadem Congregatione infrascriptis dubiis = Primo = *An Canonicus Theologus cogi possit pro arbitrio Episcopi etiam per multas loco Sacræ Scripturæ legere casus conscientiæ, seu Theologiam Moralem in casu ec.* = Secundo = *An, et quibus diebus Canonicus Magistralis pro tempore teneatur per se ipsum concionari in casu ec.* Die XXVIII. Septembris præteriti anni MDCCLXV. eadem Cardinalium Congregatio respondit: *Ad primum affirmative = Ad secundum affirmative ad formam tabellæ, et iuxta votum Nuneii Apostolici.*

§. Ut autem decreta hujusmodi quo firmiter subsistant, et serventur exactius præfatus Episcopus, Capitulum, et Canonici Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communire dignemur, Nos igitur Episcopum, Capitulum, et Canonicos prescriptos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrent, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decreta præinserta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adijcimus, salva in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 7. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Dubia in Sacra Congregatione proposita, et resolutiones successivæ.

Pontifex supra relatas Sacræ Congregationis resolutiones confirmat, et observari mandat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Contra inadimplementum prædictorum onerum requisita fuit auctoritas S. Congregationis Episcoporum, et Regularium.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Capituli hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis; ac in solitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialites, et expresse derogamus, cæterisque contrariis, quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xxix. Januarii MDCCCLXVI Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXIX.

Archiepiscopum Trevirensis objurgat, quod Edictum publici juris fecerit Ecclesiasticæ libertati adversum.

Venerabili Fratri Joanni Philippo  
Archiepiscopo Trevirensi  
S. R. I. Principi Electori

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

Suum dolorem  
exprimit Pon-  
tifex pro nova  
lege, qua Ec-  
clesiasticis per-  
sonis fori pri-  
vilegium adi-  
mitur.

§. 1. Non satis verbis exprimi possumus, quanta Nos admiratio, quamque gravis percusserit dolor, cum legimus Edictum quoddam tuum, seu, quemadmodum appellas Mandatum edictale die X. proxime elapsi mensis Decembris editum. Hac omnia nova lege tua tum Ecclesiasticis corporibus, tum singulis Ecclesiasticis personis fori privilegium adimitur, quod non modo a sacris conciliorum Canonibus, sed tuorum etiam prædecessorum expressa lege sancitum, perpetua ad hanc usque diem consuetudine viguit. Præterire juvat quantam Nobis, et huic quam in Edicto tuo non obscure indicas, Apostolicæ Sedi injuriam feceris, neque ex-

probrare tibi volumus, quanta Fratritatem tuam adhuc complexi sumus benevolentia, quibusque eadem hæc Apostolica Sedes, ubi tulit occasio, te affecerit beneficiis.

§. 2. Illud tacere non possumus, numquam Nos suspicari potuisse, te qui primum Ecclesiæ, deinde seculi constitutus es Princeps, ita Ecclesiam seculo posthabere, ut Ecclesiasticam potestatem, auctoritatemque depressam velis, secularem super Ecclesiasticæ ruinas extollas. Quid igitur ad hoc tuum exemplum non designabant Principes seculi? immo verò quid ipse facies, ubi quis eorum, qui partem aliquam ditionis suæ habent in tua Diocesi talem ibi legem ferat, qualem ipse ferre non dubitasti? Qua fronte ejusmodi conatibus, qua fortitudine, qua Sacerdotali constantia obstiteris? cumque tui verecundia facti turpiter tacere cogereris, quanta cum animæ tuæ perniciæ Episcopalem officium desereres, et Religioni deesses illius Sacramenti, quo dum Episcopalis mysterijs initiabari, jurasti sacratissimorum Ecclesiæ jurium te defensorem ferre?

§. 4. Verum ea est de Fratritate tua Nobis opinio, ut nullo modo inducere animum possimus existimare, te cogitato, deliberateque id fecisse, quod Ecclesiæ et universo Ecclesiastico Ordini tibi præsertim, Ven. Fr., tantopere est injuriosum. Id potius pravis eorum consiliis tribuimus, qui intima tui familiaritate, et, qua valent plurimum gratia magno tui cum dedecore abutantur. Quamobrem magna Nobis spes est, te clamoribus justissimaque Cleri tui querimonia excitatum, revocasse jam illud edictum, quod apud Deum gravissimo te crimine abstringit, et apud homines æternam tuo nomini notam inurit. Quod si nondum idem edictum de medio sustulisti, ne quæsumus, vel tantillum temporis differas illud delere nec te malus absterreat pudor, quominus tuum improbes factum. Nihil enim probitate prædito Viro dignius, quam quod se male fecisse cognoverit, id confestim justitiæ et veritatis amore impulsus retractet. Deum enixa prece obsecramus, ut in hac re te solum audias, te tuamque pietatem in consilium adhibeas, tibi unice obtemperes, neminem vero eorum ad tecum deliberandum admittas, qui vel ob corruptos mores, vel ob animum opinionibus absurdis opletum favore tuo et gratia vulgo judicantur indigni. Et Fratritati tuæ Apostolicam benedictionem pera-

Is qua nova lege Pontifex non injuria Ecclesia tantum affertur, sed scandalum cæteris Antistitibus præberi.

Hortatur Pontifex Archiepiscoporum ut legem ei fostasse a perfidis consiliariis insinuam, revocet.

manter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima nona Januarij MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

## DXX.

Eidem Archiepiscopo Trevirensi Epistolam dirigit gaudii plenam, pro revocato Edicto Ecclesiasticæ libertati noxio, de quo in superiori Epistola sermo fuerat.

Venerabili Fratri Joanni Philippo Archiepiscopo Trevirensi S. R. I. Principi Electori.

## Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. **E**x litteris, quas ante hos octo dies Fraternitati tuæ dedimus, jam ut opinamur intellexisti, quam graviter commoti simus edictali illo Mandato tuo, quo corporibus Ecclesiasticis singulisque Ecclesiasticis personis in tua ditione fori privilegium adimebatur. Scripsimus tamen incredibile Nobis esse, quod sciens et prudens tali condito Edicto tam gravem jurisdictioni Ecclesiasticæ inflictam volueris plagam.

§. 2. Et recte quidem de te tuæque pietate Nos existimasse docuerunt literæ isthæ ad Nos novissime allatæ. Denunciarunt enim, absurdum illud Edictum novo alio Edicto tuo jam fuisse deletum. Cum autem labem illam quam nomini tuo adpersam oportuit statim elueris, reliquum est ut in posterum existimationi tuæ provideas; ac si cavere velis ne quid tale tibi contingat, velle autem omnino debes homines qui te fortasse circumstant, vel corruptis moribus vel novarum doctrinarum erroribus maculosos a te tuisque rebus arceas oportet, et sectatores improbos repudies, qui infenso in Ecclesiam animo nullam dignitatis et existimationis tuæ rationem habent, dum eandem Ecclesiam quoquo modo quam maxime deprimant. Remove a te os pravum ait Salomon. Et Oculi tui recta videant et palpebræ, tuæ præcedant gressus tuos. Quibus verbis non alienis uti, sed Nostros jubemur oculos adhibere.

Interea pietatem tuam, et animi magnitudinem valde laudamus, quem non ut jejunæ angustæque mentis homines malus impediatur pudor, quo minus, quod male factum tibi excidisse cognovisti, nulla interposita mora correxeris. Et Fraternitati tuæ benevolentiam erga te. Nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quinta Februarij MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

## DXXI.

Præscribitur, ut in Monasterio Monialium Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatarum Civitatis Pacensis in Indiis suppressis Monialibus illis quibus facultas erat gestandi velum album, non recipiantur in posterum quam Moniales nigrum velum deferentes.

Venerabili Fratri Episcopo Pacensi  
in Indiis

## Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ Priorissa, et Moniales Monasterii Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Excalceatæ nuncupatæ Civitatis Pacensis in Indiis, quod in fundatione, seu erectione, ejusdem Monasterii statutum fuit, ut in numerum viginti unius Monialium tunc præscriptum admittendæ tantummodo essent Moniales professæ cum velo nigro, quodque aliæ tres, aut plures Moniales cum velo albo vulgo *Legasibidæ* nuncupatæ, minorem dotem afferentes, a Choro, aliisque officiis onerosis Monasterii prædicti exemptæ, ac immunes esse debeant, ac alias, prout in lege fundationis, seu erectionis Monasterii hujusmodi uberius dicitur contineri.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hujusmodi tres, vel plures Moniales, quæ velum album deferunt, et a Choro, aliisque officiis prædictis exemptæ sunt, inutiles evadant dicto Monasterio, a quo ipsis alimenta suppeditantur. Hinc exponentes

Dat. die 5. Februar. 1766.  
Ann. VIII.

Præcedentium  
litterarum ma-  
teriam resumit.

Archiepiscopum laudat  
pro edictali lege  
revocata, eundemque  
hortatur ut  
pravos consiliarios  
ab si cimet.

Dat. die 15.  
Febr. 1766.  
Anno VIII.

Refertur consuetudo Monasterii hujusce ut nonnullæ Moniales supranumerariae admittentur album velum deferentes, et exceptionibus quampluribus ditata.

Preces porrectæ pro talium Monialium supranumerarum suppressione.



præfata, ut præsertim in Choro, et in casu infirmitatis aliarum, quo fieri potest, major sit Monialium numerus ibidem interessentium, non solum a tribus Monialibus, quæ cum velo albo, ut præfertur, in dicto Monasterio nunc reperiuntur, sed etiam ab aliis, quæ in earum locum idem Monasterium ingressuræ sunt, nigrum velum assumi debere summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex præcibus annuit, et hac de re Patens Episcopo opportunas tribuit facultates.

§. 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, ac earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas foret incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositorum consilio, Fraternitati tuæ, per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et dummodo Moniales de velo albo, quæ nunc in dicto Monasterio reperiuntur, sumum præstent consensum, eis petitam facultatem sumendi velum nigrum pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas, simulque facultatem in posterum, prævia reductione, non admittendi Moniales, nisi ad velum nigrum cum honoribus, et oneribus eisdem competentibus concedas, salva tamen in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, nosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non prædictorum Ordinis, et Monasterii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis fir-

mitate alia roboratis statutis, fundationis, et erectionis legibus et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima quinta Februarii MDCCLXVI Pontificatus Nostri Anno Octavo.



Dat. die 16.  
Febr. 1766.  
Ann. VIII.

DXXII.

Monasterium Montis Oliveti Majoris Ordinis S. Benedicti Congregationis B. M. Virginis Montis Oliveti, previa exemptione ab jurisdictione Ordinaria Episcopi Pietini, Nullius Diœcesis declaratur, caput totius Ordinis constituitur, et Monachi specialibus privilegiis donantur.

*Privilegia Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliveti S. Benedicti una cum communicatione omnium gratiarum Congregationis Cassinensis ejusdem Ordinis concessit Pius II. Constit. Anni 1462. Octobr. 5. ut videre est in Bullario Mainardii. Eadem privilegia confirmavit, et ampliavit Benedictus XIV. qui Abbatibus ejusdem Congregationis indulxit, ut in die festo S. Franciscæ Romanæ uti possint Pontificalibus in Missa, tamen Conventuales regularis observantia per Constit. Anni 1755. April. 1. perlegenda in Benedictino Bullario. Ecclesiam B. M. V. de Lonigo ubi Monasterium adnexum est hujus Ordinis, prius Aquilejensi Patriarchæ subjectum, Diœcesi Vicentina univit Clemens XIII. exemptionibus, et privilegiis jam Monachis a S. Sede indultis, conservatis per Constit. Ann. 1759. Sept. 24. relatam hujus Continuationis Tom. I. Num. 95. pag. 247. Omnibus Ecclesiasticis personis servitio addictis aut in Monasteriis habitantibus hujus Congregationis facultatem indulxit Pontifex idem recitandi officium divinum, et horas Canonicas juxta ritum dictæ Congregationis, Constit. Anni 1764. Aug. 3. relata hoc Tom. III. num. CDXXVI. pag. 7.*

Clemens Episcopus.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Credita, divinitus Romano Pontifici universi Dominici Gregis potestulata cura, ut Regulares Ordines, eaque loca, ubi eorundem Ordinum Professores sub suavi Christi jugo susceptum pie, sancteque vivendi institutum servant, tum Coelestium rerum contemplationi, tum sacrarum literarum in Christianæ Reipublicæ bonum stu-

diis incumbunt; speciali eligatela, et protectione foveantur. Quare Nos prædecessorum Nostrorum exempla sectantes, dum omnium Regularium Ordinum conservationi, et ampliationi consulimus, præcipua tamen eorum loca, in quibus Ordo aliquis habuit initium, præclarioribus privilegiis augere non delectamur.

§. 2. Nuper siquidem Nobis pro parte dilecti filii Cæsaris Scarselli Abbatis, et Procuratoris Generalis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Sanctæ Mariæ Montis Oliveti, etiam totius Congregationis nomine expositum fuit, quod cum ipsa Congregatio sub initium quarte decime Ecclesiæ sæculi a Beato Bernardo Tholomei, qui in quodam ejus patrimoniali prædio tunc de Diœcesi Aretina, modo intra fines Pientinæ contento, situ propemodum montano, et deserto, profundisque vallibus circumdato primum erexit Monasterium Montis Oliveti nuncupatum, feliciter, sancteque instituta fuerit, Monasterium illud in totius Congregationis benedictæ Domino longe lateque propagatæ, caput semper habitum absque ulla hesitatione censeatur de præsentibus. Etenim Abbas totius Congregationis Generalis specialiter illi Monasterio præest, in eo Vicarius residet Generalis, et Generalia Comitia habentur, atque viget peculiariter Regularis observantia.

§. 3. Porro eidem Congregationi ob præclara ejus Alumnorum merita nonnulli Romani Pontifices prædecessores Nostri varia privilegia, gratias, favores, et indulta tum spiritualia, tum temporalia concesserunt; et præcipue fel. rec. Pius PP. II. etiam prædecessor Noster per suas literas Apostolicas sub datum Petreoli Senensis Diœcesis Anno Incarnationis Dominicæ MCCGCLXII Tertio Nonas Octobris, Pontificatus sui Anno quinto, inter alias gratias dictæ Congregationi elargitas, illi etiam communicationem privilegiorum omnium, exemptionum, libertatum, indultorum, et gratiarum Congregationi Sanctæ Justinæ Paduanæ ejusdem Ordinis, ejusque Monasteriis Prioratibus, membris, ac personis et bonis, per dictos Romanos Pontifices prædecessores Nostros tunc suos quomodolibet elargitorum, ac si illa omnia, et singula Congregationi primodictæ indulta fuissent, concessit pariter, et indulsit.

§. 4. Novissime vero fel. rec. Benedictus PP. XIV. immediatus prædecessor Noster per similes suas literas sub datum apud Sanctam Mariam Majorem

Exponitur origo, atque progressus hujus Congregationis

Quamplures Romani Pontifices hanc Congregationem privilegiis, et honoribus ditaverunt.

Etiam Benedictus XIV. nova privilegia, et gratias eidem concessit.

anno Incarnationis Dominicæ MDCCLV. kalendis Aprilis Pontificatus sui Anno xv. nedum omnia, et singula privilegia a Pio prædecessore prædicto Congregationi primodictæ elargita confirmavit, sed ad primodictam Congregationem alia quoque privilegia omnia, exemptiones, et gratias, quæ aliis ejusdem Ordinis Sancti Benedicti, et præcipue prædictæ Sanctæ Justinæ, seu Cassinensi Congregationibus ex post auctoritate Apostolica concessa fuerant, sub certis modo, et forma extendit, ampliavitque.

Preces porrectæ ad hoc ut Monasterio Montis Oliveti Majoris peculiare gratiæ indulgeantur.

§. 5. Quamvis autem Congregatio Montis Oliveti tot fuerit decorata privilegii, Monasterium tamen primodictum Montis Oliveti Majoris modo denominatum in ejus supra cætera ejusdem Congregationis Monasteria præstantia argumentum, nullo speciali gaudet privilegio, prout aliqua Monasteria, quæ Capita sunt Congregationum Sancti Benedicti, decorantur. Quare pro ejusdem Cæsaris parte Nobis fuit humiliter supplicatum, ut primodicto Monasterio præter exemptiones Regularibus locis competentes, Territorii quoque, ut infra a Diœcesi Pientina separati, et sejuncti qualitatem addere, illiusque Abbatii opportunas facultates impertiri dignemur.

Pontifex Monasterium idem, et Monachos, sub immediata Sedis Apostolicæ protectione recipit.

§. 6. Nos igitur ejusdem Cæsaris nomine etiam Congregationis primodictæ Nobis oblatis precibus, ac dilecti filii Nostri Aloysii Sanctæ Agathæ ad Suburrum nuncupatæ S. R. E. Cardinalis Torrigiani nuncupati Status Nostri a Secretis, ac etiam apud Nos, et Sedem Apostolicam primodictæ Congregationis Protectoris suffragiis, quam libenter annuentes, firmamque spem, et fiduciam habentes magis in dies primodictam Congregationem uberes in Ecclesia Dei fructus allaturam fore, atque ad exhibendas ampliores Nostræ erga illam benevolentiam significationes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac eundem Cæsarem, et Monachos omnes Congregationis primodictæ, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, alisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore consentes, Monasterium primodictum Beatæ Mariæ Virginis Montis Oliveti Majoris nuncupati cum ejus Ecclesia, et integra clausura, prout servatur de præsentibus, quæ licet nullo ut

accepimus sit circumducta muro, ejus tamen ambitus fines ab ima cavitate profundarum vallium fere undequaque firmantur, ac pro tempore existentes Monasterii primodicti Abbatem, et Monachos, nec non Oblatos inservientes, aliosque actu ibidem commorantes, nec non res, et bona quæcumque etiam infra ambitum hujusmodi existentia sub Beati Petri, et Apostolicæ Sedis, ac Nostra, successorumque Nostrorum immediata protectione recipimus.

§. 7. Ac proinde Monasterium primodictum, illiusque Ecclesiam, et integram clausuram a Venerabilis Fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis Episcopi Pientinæ Diœcesis Territorio, atque ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, statutis etiam synodalibus, superioritate, et potestate ipsarum tenore præsentium, Apostolica auctoritate perpetuo eximimus, et liberamus; ipsumque Monasterium cum ejus Ecclesia, et integra clausura juxta designatum ambitum Nullius Diœcesis, Sedique Apostolicæ, a Nobis, et successoribus Nostri immediate subjectum existere, et fore, atque Nullius Diœcesis Provinciæ Sevensis nuncupari debere etiam decernimus, et statuimus. Propterea eundem Monasterium et Ecclesia integram clausuram, et personas prædictas actu, et pro tempore ibidem commorantes ordinariæ Abbatis Generalis præfati per se ipsum, seu per dictum Vicarium Generalem exercendæ jurisdictioni, et superioritati cum declarationibus quoad infrascriptas facultates in hisce Nostri literis contentis, harum quoque serie plenarie subicimus, et supponimus; ita ut Episcopus Pientinus nunc, et pro tempore existens nullam in idem Monasterium, Ecclesiam, et personas, ingramque clausuram præfatas jurisdictionem, correctionem, visitationem, superioritatem, dominium, seu potestatem exercere, aut excommunicationis, aliasque sententias, censuras, et pœnas promulgare nullatenus possit, et valeat; sed ipse Abbas Generalis præfatus intra præmissos clausuræ limites Ordinarius Superior sit, et esse censeatur.

§. 8. Verum concessionem hujusmodi cum infrascriptis tamen declarationibus dumtaxat, et non alias accipiendis concedere intendentes per easdem præsentibus statuimus, quod Abbas Generalis pro tempore existens præfatus, ut in primodicta Ecclesia publice Fidelium adorationi SSimum Eucharistiæ Sacramentum exponatur deman-

Nec non Monasterium et Ecclesiam ab Pientina Diœcesis Territorio segregat, et Nullius Diœcesis constituit.

Declarationes addit sub quibus segregationem prædictam locum habere debere intendit.

dare, sed ad annunciandum populo in eadem Ecclesia congregato verbum Dei Monachos tantum Congregationis primodictæ seligere possit. Porro idem Abbas Generalis Congregationis primodictæ Monachos, qui tamen alias ad Confessarii munus exercendum a quocumquæ Episcopo gratiam, et communionem cum Apostolica Sede habente patientes literas susceperint, ad excipiendas Sacramentales Confessiones intra limites clausuræ hujusmodi deputare queat: præterea quod Monachis Congregationis primodictæ expresse professis ad Sacros Ordines promovendis, atque in primodicto Monasterio commorantibus ab eodem Abbate Generali Dimissoriales literæ, quarum vigore ipsi Monachi, ut præfertur, commorantes rite, et legitime ad omnes Sacros Ordines promoveantur concedi possint, sed Dimissoriales literæ hujusmodi vel Archiepiscopo Senensi, aut Pientinensi, seu Aretino, vel Ilcinensi Episcopis dirigi debeant, nec aliis Episcopis ex quavis causa directæ suffragentur. Demum, quod illi, qui habitu in Congregatione primodicta suscepto, in primodicto Monasterio debitum peragentes Tyrocinium ante solemnis in ea professionis emissionem, renunciationem suorum bonorum emittere intendent, quæ juxta Concilii Tridentini decretum nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fieri nequit, ipsi propterea Novitii non ubilibet, sed sola dicti Abbatæ Generalis licentia in una ex quatuor Archiepiscopis, et Episcoporum præfatorum curiis renunciationem, quam emittere intendent, libere, et licite, nec non opportune, et valide perficere possint, et valeant.

Clausulæ præservativæ.

§. 9. Præsentem autem literas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, etiam ex eo, quod de consensu interesse habentium non constat, seu prætextu illius defectus, aut quod causæ, propter quas præsentem emanarunt, satis adductæ, examinatæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, de subreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specificam, et individuum mentionem, aut expressionem requirente defectu, aut ex quocumque

alio capite a jure, statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque colore, prætextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, et quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, et tali, quæ ad effectam validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium, vel justitiæ impetrari posse, neque ipsas præsentem sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum, et dispositionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, et successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem Apostolicam prædictam etiam Motu-proprio ex certa scientia, et potestatis plenitudine, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis, et concessis, ac faciendis, et concedendis compræhendi, sed semper, et omnino ab illis excipi.

§. 10. Sicque, et non alias in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, aut Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, aut alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, prærogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, subblata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque Judicio, et quacumque instantia judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, ac inane decernimus, et declaramus.

Decretum irritans.

§. 11. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universa-

Derogatio contrariorum.

libusque Conciliis specialibus, vel Generalibus, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesie Pientinensis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis illis, earumque Superioribus, et personis ac locis quibuscumque etiam specifica, et expressa, ac individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu pari, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium præmissorum concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et clausulas etiam quantumvis amplas, pias, et privilegiatas præsentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, et specificatis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum omnium, et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac sufficienter, nec non specialiter, et expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio-  
rum fides

§. Volumus autem, quod earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si originaliter exhibitæ forent, vel ostensæ.

Sancti-pœnalis

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutio- nis, exemptionis, liberationis, statuti, subjectionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam

Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, quintodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXXIII.

Dat. die 19. Fe-  
bruar. 1766.  
Ann. VIII.

Pragensem Archiepiscopum monet ne in sua Diocesi sinat ut aliqua Ecclesia concedatur Lutheranis in qua ii libere possint publicas explere functiones

Venerabili Fratri Antonio  
Archiepiscopo Pragensi

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. De servanda Catholicæ Fidei integritate pro Apostolico munere Nostro sammopere solliciti vigilantiam tuam requirimus, in re, quæ ad ejusdem Fidei incolumitatem pertinet, et tua maxime interest. Rumor est Viennæ id nunc agi, ut Lutheranæ hæresis sectatoribus Præ- gæ concedatur Ecclesia, in qua ipsis libere liceat publico exercitio, nefariis contaminatam erroribus, suam colere Religionem. Quantum inde Res Catholica acceptura sit detrimenti si pravum ejusmodi consilium, quod Deus longissime prohibeat, perficiatur, non est cur Fraternitati tuæ declarare studeamus. Per se enim ipsa res clamât, tuque pro tua prudentia satis intelligis Ven. Frater, id tibi quantum exhiberet negotij, si a venenatis pascuis prohibere velis oves tuæ fidei et custodiæ concreditas; quod quidem pro tuo zelo, flagrantique incorruptæ Fidei studio se maxime velle non ambigimus.

Nunciat Pontifex Archiepiscopo vulgatum famam de concedenda Lutheranis Ecclesia pro publico exercitio.

§. 2. Quamobrem videto, quæsumus, inanis ne sit ejusmodi fama, an quidquam afferat veri: et si quidem non sit otiosarum hominum commentum, sed ex certis auctoribus comperias, tantum isthic impendere mali Catholicæ Ecclesiæ, ne reliqui tibi facias ad infringenda tam pernicioosa, et Catholico nomini tam inimica consilia. Nos quidem certum haberemus, quod non nisi rumore nuntio accepimus, non pateremur Nostrum desiderari officium, et carissimæ in Cristo Filix Nostræ Mariæ Theresiæ Reginæ Apostolicæ ea de

Eundem Archiepiscopum obsecrat ne tantum in sua Diocesi committi scandalum sinat.



re, qua in discrimen vocatur incolunitas Dominici Gregis et salus, nulla interposita mora, per literas Nostras pietatem excitaremus, quo minus sustineret tam grave rei Catholicæ vulnus infligi. Tuum est interea id quidquid est diligenter exquirere; et si quidem opus sit, antecapto tempore, tuo consilio et industria eorum conatus eludere, qui tam male consulant Catholicæ Religionis. Tibi denique Ven. Frater eximie erga te benevolentia: Nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die XIX. Februarij MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXXIV.

Dat. die 22.  
Febr. 1766.  
Anno VIII.

Episcopo Porti Divitis in Indiis respondet, qui gratulatus fuerat de Constitutione qua Societatis Jesu Institutum confirmatum extitit.

*De hoc ipso argumento adsunt superius quam plures Epistolæ, et signanter videnda illa relatu sub Num. DXXVI. pag. 158. cum adnotatione ibi adneca.*

Venerabili Fratri  
Mariano Episcopo Portus Divitis.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Libentissime accepimus literas tuas, quibus ex tanto locorum intervallo gratulabundus Nobis occurris, susceptamque lætitiã tuã ex Constitutione Nostra qua Institutum Soc. Jesu denuo approbavimus et confirmavimus, Nobiscum quodammodo comunicatam voluisti. Profecto magnæ Nobis consolationi fuerunt plurimorum ex omni Natione, quæ sub cælo est, Episcoporum literæ, quibus vehementer se lætatos esse denunciant, quod ea Constitutione eandem Soc. Jesu atroci tempestate jactatam, in tranquillo posere studuimus et quod maxime opus erat, injuriam propulsavimus, quam homines maledicentissimi pium ejusdem Societatis Institutum, et a Nostris fel. Rec. prædecessoribus cumulatum laudis, et approbatum, traducunt ut impium, Apo-

stolicæ Sedi, atque adeo universæ Ecclesiæ temere obtulerunt.

§. 2. Nunc vero Nostrum duplicatur gaudium, cum ex remotissima ab orbe Nostro Regione, et sub alio cælo quodammodo posita literæ Fraternalitatis tuæ prædicatione summa Nobis offerunt, quam duras laboribus, gravibusque periculis ejus Soc. Clerici Regulares depellendam isthuc susceperunt immanitatem atque barbariam, et mortalium Greges ab infelicibus vepretis et saltibus læta Domini pascua ad hanc usque diem adjuvante Domino traduxerunt. Illud præterea addis sæpe in Dicecsi tua accidisse, ut Apostolici Viri suo ipsorum sanguine Christianam sanxerint disciplinam, et inter accerbissimos cruciatus vitam amiserint. Ex his divinx gratiæ triumphis habet profecto Societas Jesu, quamobrem abunde se in his consoletur malis, quæ illi modo creavit inimica Catholicæ Religionis factio. Deum interea precamur adsidue ut strenuos, impigrosque Operarios divina sua corroboret gratia, quorum opera impio Idolorum cultu ex istis Regionibus paulatim sublato, detersisque fœdis superstitionibus, regnum Christi progagetur in dies. Nos eam Societatem unde tam uberes ad Catholicam Ecclesiam provenere fructus, et quotidie conveniunt, Apostolica auctoritate Nostra semper tutati sumus, semperque tutabimur, eamque tibi Ven. Frater commendamus majorem in modum; et Fraternalitati tuæ intimo Nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die vigesima secunda Februarii MDCCLXVI Pontificatus Nostri Anno octavo.

Suam consolationem exprimit Pontifex pro insigni zelo quo Societas ista in remotissimas plagas Religionis propagationi incumbit.

Curserit Pontifex de hujus Instituticonfirmatione sollicitus enunciat.



DXXV.

Dat. die 4. Martii 1766. Ant. no VIII.

Prævia derogatione testamentariæ dispositioni Gundisalvi de Campo, qui Collegium Societatis Jesu in Civitate Ispalensi erigi jussit pro viginti Juvenibus, ac pro Religiosis ipsius Societatis Theologiam repetentibus, conceditur, ut totidem Missionarii Societatis ejusdem subrogentur in eodem Collegio.

Dilecto filio Nostro Francisco S. R. E. Presbytero Cardinali de Solis nuncupato, Ispalensis Ecclesiæ ex concessione, et dispensatione Apostolica Præsuli

Dilecte Fili salutem,  
et Apostolicam benedictionem

1. §. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Baena Clericus Regularis expresse professus Societatis Jesu, et Moderator Provinciæ Beticæ ejusdem Societatis, quod alias tunc in humanis agens Gundisalvus de Campo Archidiaconus loci de Elepla nuncupati, et Canonicus, ac Vicarius Ispalensis, solemniter contractu inito anno MDCXV. voluit, et mandavit, ut ex suis bonis erigeretur Collegium dictæ Societatis, vel Theologiam repetentibus, vel tertiæ probationis annum agentibus, ac statuit, ut interim duo alumni, atque unus vel alter ex Religiosis hujusmodi ibi degerent, quousque multiplicatis redditibus honorum, necessarium ædificium constructum esset, ac omnia pro Collegio sustentando suppeterent, et alias prout in dicti Gundisalvi dispositione uberius dicitur contineri.

Præces portetæ pro obtinenda testamentariæ dispositionis derogatione

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tua præsertim munificentia, ejusdem Collegii ædificium omni ex parte nunc absolutum, et perfectum sit, atque omnia ad exequentiam præfatam donantis dispositionem jam prompta, et parata reperiantur; Ipse vero Joseph exponens in bonum, ac utilitatem ejusdem Collegii cessurum esse putet, si vice, et loco Religiosorum Theologiam repetentium, et tertiæ probationem agentium, totidem Religiosi Missionarii in dicto Collegio substituuntur; nam in præsentem obmutatam temporum, rerumque conditionem in dicta Provincia hujusmodi repetentes non extant, aliudque reperitur Collegium pro iis, qui tertiæ probationis sunt. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis oppor-

tune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur dictum Josephum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrun, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui relationem tuam super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderrunt, consilio, circumspeditioni tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, vice, et loco Religiosorum hujusmodi, vel Theologiam repetentium, vel tertium probationis annum agentium, totidem Religiosos, qui sacris peragendis Missionibus, incumbant, pro tuo arbitrio, et prudentia, auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium gratis subrogare, et substituere possis, et valeas, firma in reliquis remanente memorati Gundisalvi dispositione, et salva semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes, easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, et singulis, ad quos spectat, et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Lateranensi Legatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus supradicti Gundisalvi donatoris voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis et quatenus opus sit dictæ Societatis, et Provinciæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis deroga-

Annuit Pontifex ullo Religiolorum Theologiam repetentium, totidem Missionarii in Ispalensi hoc Collegio subrogentur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

toris, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibus, et aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die .iv. Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

## DXXVI.

Indulgetur ut Missæ a Canonicis Regularibus S. Salvatoris celebrari solitis in die obitus Præbyterorum, Clericorum, et laicorum hujus Ordinis, in defunctorum animæ expiationem habeantur, ac si ad Altare privilegiatum celebratæ fuissent.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Cum, sicut dilectus filius Clemens Ambrosi Abbas, ac modernus Procurator Generalis Canonicorum Regularium SSm̃i Salvatoris Ordinis S. Augustini Nobis nuper exponi fecit, aliquas missas in cujuscumque Presbyteri, Clerici, aut Laici ex Canonicis Regularibus dicti Ordinis diebus obitus, seu alio di unusquisque Canonicus Regularis dicti Ordinis in sacro Presbyteratus Ordine constitutus celebrare debeat, aut soleat; ideoque dictus modernus Procurator Generalis missas hujusmodi coelestium munerum, quorum dispensationem fidei Nostræ credidit altissimus, et largitione a Nobis condecorari plurimum desideret. Nos piis ejusdem moderni Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque Sacerdos aliquis ex Canonicis Regularibus ejusdem Ordinis sacrosanctum missæ sacrificium vel in die obitus prædictorum presbyterorum, clericorum, et laicorum Regularium Ordinis hujusmodi pro illo-

rum anima, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, missæ sacrificium hujusmodi animæ, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad Altare privilegiatum fuisset celebratum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ Apostolicæ, regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici inscriptis et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die .xn. Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

## DXXVII.

Dat. die 27.  
Martii 1766.  
Anno VIII.

Respondet Badensi Duci, qui nunciaverat Pontifici pacta inter se inita cum Durlacensi domo ad Catholicæ Religionis statum post suam mortem retinendum, spectantia.

Dilecto Filio Nobili Viro Augusto  
Giorgio Marchioni Badensi

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili Nobilis Vir, salutem,  
et Apostolicam benedictionem

De pactionibus quas cum Durlacensi familia fecit Nobilitas tua, partem illam cum tuis literis ad Nos missam, læto animo legimus de conservando in Ditione tua, postquam mortalitatem expleveris, Catholicæ Religionis statu. In iis purus, integerque cultus veræ fidei, quo te inter Principes Viros semper eximium præbueris, tuæque pietatis lumen elucet. Nunc Deo ingentes agimus gratias, quod tibi adfuit in consilio, eamque dedit mentem ut de retinendo in via salutis populo tibi subjecto bene sapienterque cogitaveris. Profecto quod prospiciens in posterum Catholicæ Religionis perpetuo

apud Vos conservandæ in eo statu quo nunc est voluisti consultum, id tibi dilectæ Filii Nobilis Vir præcipuum in coelo parat locum, et in terris gloriam. Idcirco et Nobis et Catholicæ Ecclesiæ et Nobilitati tuæ factam istud pulcherrimum inum gratulamur, quo nihil accidere Nobis iucundius, nihil Ecclesiæ evenire, ut nunc res sunt, præstabilius, nihil a virtute tua proficisci potuit unquam illustrius. Tibique, dilectæ Filii Nobilis vir, quem in Nostro paternæ claritatis gerimus sine Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima secunda Martij MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 21.  
Martij 1766.  
Anno VIII.

DXXVIII.

De eodem Argumento agit cum Elisabetha Augusta Marchionissa Badensi, cujus pietatem, et religionem commendat.

Dilectæ in Christo Filix Nobili Mulieri Elisabethæ Augustæ Marchionissæ Badensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecta in Christo filia salutem,  
et Apostolicam benedictionem

**M**agna Nos cura liberaverunt dilecti Filii Nobilis Viri patrum tui litteræ, quas nuper accepimus cum ijs pactionibus, quas fecit pijssimus Princeps cum Durlacensi Familia de Catholicæ Religionis perpetuo in ejus ditione retinenda statu, in quo eam relinquet nbi (utinam serus:) hinc ad æternam vitam abierit. Hæc vero pactiones non ad præsentis modo temporis, sed ad æternam quoque piæ posteritatis et exemplum et gratiam, erunt vestræ pietatis, vestræque in rem Catholicam voluntatis et studij perenne monumentum. Te vero dilectæ in Christo Filia Nobilis Mulier quibus laudibus prosequemur, quæ prosequamur patrum tui sensibus tanta veræ religionis cura, tamque proluxa obsecundaveris voluntate? Sed in magnis opibus, quæ ex ejusdem patrum tui hæreditate ad Nobilitatem tuam evenient majorem pietati tuæ paratam esse prospicimus laudem et gloriam nec dubitamus quia semper in tuarum usu divi-

narum præ oculis bonorum omnium largiorem Deum ejusque cultum, et honorem iis habitura. Deum interea quanta possumus prece rogamus, te Patrumque tuum diutissime ut sospitet, et conservet incolumes: tibi que dilectæ in Christo Filia Nobilis Mulier, quam flagrantissimo paternæ charitatis studio prosequimur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda Martij MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

DXXIX.

Dat. die 29.  
Martij 1766.  
An. VIII.

Archiepiscopo Moguntino facultatem imploranti imponendi annum tributum ditioribus, Religiosis Domibus, pro amplianda Moguntina Universitate, respondet, se ejus votis obsecundare non posse eo quia Religiosæ Domus Universitate minime utuntur.

Venerabili Fratri  
Emerico Archiepiscopo Moguntino  
S. R. I. Principi Electori

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **M**oguntinæ Universitatis augenda jam pridem novimus Fraternitatem tuam desiderio summo flagrantem; nec te idcirco satis possumus laudare, et quod sine cujusquam possit fieri querela, zelum in hac re tuum adjuvare maxime volumus. Quæ enim ad Universitatem amplificandam cogitas, omnia videmus in utilitatem vergerè Ecclesiæ, et in Catholicæ Fidei tutelam. Sed ut zelum in hac re tuum magnopere laudamus, sic ea quæ Nobis adhuc proposuisti, veremur ut sint ad id quo tendis assequendum, satis accomodata consilia. Perpetuum expetis ut imponatur quibuscumque et cujuscumque Ordinis sint, locupletioribus Monasteriis in singulos annos tributum, quam pecuniam in aliter Cathedras constituenda, et Professores alendos insumeres. Verum magnopere considerandum est Ven. Frater, quantos in Regulari Clero querelas excitaremus, cum nihil Monachis cæterisque Regularibus Universitate opus sit, qui in suis ple-

Enumeratque  
relas horituras  
quoties implo-  
ratum tribu-  
tum Religiosis  
Domibus im-  
ponatur.

rique Domibus habeant Magistros quos audiant; ut parum æquum videatur, eos in rem, quæ sibi nulli sit usui, snutum facere; contra qui omnem inde Seculares utilitatem capiunt omni onere abire imnes. Verendum etiam ne si indicta causa eos adigamus ad id conferendum tributum, turbæ excitentur, et Nos ejusmodi consilii demum peniteat.

Suadet ut alia designet media pro Universitate amplianda, quæ Pontifex approbare non dedignabit.

§. 2. Quamobrem Ven. Frater cogitationes tuas alio convertas oportet, et aliud quidpiam tibi est reperiendum quod exequi possimus omnium bona cum gratia; nec ulli detur de Nobis conquerendi locus. Si quid tibi in mentem veniat ejusmodi, alacres Nos experire ad tuum consilium adjuvandum. Et tua dignitas, et tuum de Ecclesiæ benemerendi studium, et Nostra ad morem tibi gerendum propensa voluntas, et ipsa denique res, quam laudabiliter molitur Fraternitas tua satis ac res stimulos Nobis addunt ad tibi navandam Apostolicam operam Nostram, qua te tandem votis tui factum esse compositem gaudeamus. Et Fraternitati tuæ intimo Nostro cordis affectu Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatorio die Vigesima Nona Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXX.

Super constitutione confirmatoria Instituti Societatis Jesu agit cum Episcopo Antiquerensi, et confirmationis causas enumerat.

*Vide Epistolam relatam supra num. CDXXIV. et adnotationem in ea appositam.*

Venerabili Fratri  
Michaeli Anselmo Episcopo  
Antiquerensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **A**cepta Constitutione Nostra qua pium Soc. Jesu Institutum ab hominum, Deum parum timentium, maledictis vindicavimus, scribis magnam te suscepisse lætitiā nec fuisse te existimaturum Episcopali tua muneri

satisfecisse, si non cum Nobis gratulatus esses, gratiarumque Nobis agenda- rum defuisses officio. Recte enim iudicasti in hac causa, qua Clerici Regulares illius Societatis tantopere divexati fuerunt, non tam eorum rem agi quam universæ Ecclesiæ Apostolicæ Sedis. Quid enim Ecclesiæ magis injurium, quam Institutum illud appellare impium, quod qui sint professi plures illa in Sanctorum numerum retulerit, et ubique locorum omnes ejus Societatis ad præcipuas Sacri Ministerii partes ante hos ducentos annos ad hanc usque diem perpetuo adhibuerit? Quid Apostolicæ Sedi contumeliosius, quam idem Institutum a novendecim fel. rec. Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris probatum et laudatum, et ubique fere terrarum a Regibus et Principibus in eorum cujusque Ditione libentissime exceptum, et duorum sæculorum spatio loculentissimis opibus auctum, maximisque beneficiis cumulatum, atrocibus illud caluniis tamquam Ecclesiæ et sæculi potestatibus adversum criminari? Sed jam constat inter omnes, ab ea secta quæ veluti cancer serpit in Ecclesia, ejusque vites venerato dente depascitur, easdem artes, fallacias, et dolos ad Soc. Jesu excindendam esse adhibitas, quibus Ecclesiæ, et Catholicæ Fidei hostes jamdudum eandem oppugnare sunt aggressi. Quamobrem Ven. Frater, tibi eam magnopere comendamus, et quidque ad eam Soc. defendendam, augendamque contuleris, id velimus existimes in animarum salutem et Ecclesiæ ædificationem te contulisse. Et Fraternitati tuæ intimo nostri cordis affectu Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die Nona Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.





Dat. die 9. Aprilis 1766. Anno VIII.

DXXXI.

Designato Episcopo Quebecensi qui plures postulationes Pontifici direxerat respondet, postulationesque ipsas resolvit.

Dilecto Filio Oliverio Du Briand Quebecensi Episcopo Designato.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

Difficultates concrediti illi Episcopatus designat Pontifex, eundemque hortatur, ut alacri Animo susceptum opus impleat.

§. 1. Si quantum ærumnarum sit perpeſſurus, cogitare illum oportet in primis, qui Episcopatum velit suscipere; tibi profecto gravissimum regendæ Quebecensis Ecclesiæ onus subeunte non mediocrem obijcere debuit sollicitudinem illa consideratio, id tibi muneri esse gerendum in magnis asperitatibus rerum, et difficultatibus temporum; totoque tibi paratos esse labores corporis, et animi contentiones, ut plus oneris quam pars virilis postulat, impositum tibi fuisse videatur. Sed egregia tua in Deum pietas, et procurandæ proximorum salutis amor, et assiduum precandi studium illam a Dei misericordia tibi gratiam eliciat, quæ opportune tuas recreet vires, et ubi intentiones tuæ sint curæ, ibi validiore præsto tibi fuerit Deus auxilio. Nobis quidem de eximia pietate et sapientia tua, et sanctificandarum animarum flagranti cupiditate, qua te mire incensura novimus, cogitantibus, magna spes est, Episcopales labores tuos in Quebecensi Ecclesia Christianæ rei magno futuro emolumento, cujus Ecclesiæ conveniendæ interea Deum precamur, ut secundissima navigatione perfuncto, det tibi Deus celerem copiam.

Referuntur Episcopi postulatione, et Pontificiæ resolutiones.

§. 2. De tuis postulatis, illa quidem sunt ejusmodi, ut salutem animarum, et Ecclesiasticæ illius cum stabilitati, tum dignitati congruere videantur. Et quod ad primum attinet, per Congregationem VV. FF. Nostrorum S.R.E. Cardinalium Propagandæ Fidei præpositam ad te mitti jussimus documentum facultatis, quam ab præcipuas causas a te Nobis expositas tibi concessimus dispensandi in secundo consanguinitatis et affinitatis gradu. Deinde jubilei Bullam, sub Nostri Pontificatus initium a Nobis editam jussu Nostro memorata Congregatio curabit ad te perferri, ut Jubileum, cui nullus in Canadensi Regione

proximo jactata bello esse potuit locus, in Ecclesia et Diœcesi Quebecensi denuo publicetur. Perplacere tertium postulatam tuam, et ultimum, et tertio quidem declarari Nobis æquissimo rogajure, Capitulum, quod vectigalibus et redditibus, quibus antea fruebatur, eversum sit, idcirco censendum esse deletum. Disertis igitur verbis edicimus et declaramus, Capitulum Quebecense statum suum non amisisse, sed nihilo firmum minus quam antea etiam nunc retinere semperque in posterum retenturum: adeoque Canonicos ejusdem Capituli in Domino adhortamur ut eosdem habeant, quos antea soliti erant habere conventus, et saltem in solemnibus, festis diebus adsint sacris functionibus quæ vel in Cathedrali, vel alia quavis Ecclesia, si ita res ferat ab Episcopo assignanda celebrantur. Postremo de coadjutore tibi constituendo, libenter tibi morem geremus, ubi Nobis proposueris virum dignis eo munere virtutibus præditum, quem præterea Nuncius Noster, qui Lutetiæ Parisiorum Apostolicæ Sedis gerit negotia, probaverit. Denique tibi dilecte Fili, benevolentia erga te Nostræ pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXXII.

Dat. die 21. Aprilis 1766. Anno VIII.

Prævia cujuscumque contrariæ consuetudinis abrogatione, mandat ut in Monasteriis Monialium S. Benedicti Congregationis Casino Bursfeldensis, recipi imposterum debeant puellæ non Nobiles.

Venerabili Fratri  
Cæsari Alberico Archiepiscopo Niceno  
ad tractum Rheni, et partes inferiores  
Germaniæ, Nostro,  
et Apostolicæ Sedis Nuncio.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ghutherus Abbas, ac Præses, alique Monachi Congregationis Ordinis Sancti Benedicti Casino Burs-

Recensetur introductus abusus recipiendi tantummodo nobiles puellas.

feldensis nuncupatæ quod in omnibus Monasteriis Monialium prædictæ Congregationi in diversis Diœcesibus fundatis, ac præsertim in Monasterio Monialium Transaguensi nuncupato ejusdem Congregationis in Diœcesi Monasteriensi existente, contra primævam institutionem, foundationem, et piam fundatorum voluntatem, ac Constitutiones dicti Ordinis, Apostolica auctoritate confirmatas, inolevit abusus admittendi ad Religionis habitum tantummodo Nobiles Puellas.

Qui sane abusus in Monasterii perniciem redolet, quod Monialium numero ad officia obeunda necessaria caret.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, his temporibus puellæ Nobiles potius sæculi oblectamenta sequantur, quam Regularem statum eligere cupiant, atque idcirco in Monasteriis prædictis adeo in dies Monialium Nobilium numerus minuatur, ut vix ipsæ ad obeunda munera, et officia eorumdem Monasteriorum sufficiant, ac Monasteria hujusmodi, deficientibus Monialibus, deficere quoque possint. Quæ de re dicti exponentes hujusmodi abusus recipiendi in Monasteriis memoratis puellas tantummodo Nobiles, avertere, ac penitus remove plerimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Pontifex indulget, et mandat ut futuris temporibus recipi in Monasterio Transaguensi hujus Ordinis debeant etiam puellas non Nobiles.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuriis, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium præpositorum, qui relationem tuam super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, Fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et quatenus id expedire censueris, virtute sanctæ obedientiæ, ac sub aliis prudentia tua injungendis pœnis, præcipias, et mandes, ut in posterum in supradicto Monasterio Monialium Transaguensi ordinis Sancti Benedicti memoratæ Congregationis admittantur ad suscipiendum habitum regularem, et recipiantur eæ quoque puellæ, quæ Nobiles non sint. et ita futuris temporibus servandum fo-

re pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas, atque concedas, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes, easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragare, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis, per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, ut eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictorum Monasteriorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis, clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xxi. Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Derogatio contrariorum.



Dat. die 25.  
April. 1766.  
Anno VIII.

DXXXIII.

Literæ Processus in Die Cenæ Domini  
publicatæ

*Quoad præsentium literarum publica-  
tionem a prædecessoribus Pontificibus,  
et ab ipso Clemente XIII. factam su-  
perioribus Annis, vide Constit. eam-  
dem diei 20. Maii 1764. relatam To-  
mo II. sub. Num. CDXV. pag. 461.,  
et adnotationem in ea appositam*

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **P**astoralis Romani Pontifi-  
cis vigilantia, et sollicitudo ( *omittitur  
tenor harum literarum, jam relatus lo-  
cis citatis in superiori adnotatione, quum  
omnino similis sit præsentibus* )

Dat. die 30.  
Aprilis 1766.  
Anno VIII.

DXXXIV.

Archiepiscopo Pragensi respondet, qui  
falsam declaraverat vocem de Ecclesia  
tradenda Lutheranis in Diocesi Pra-  
gensi pro eorum cultu explendo.

*Hujus Pontificis literæ quibus de præ-  
fatæ Ecclesiæ Lutheranis traditione  
rumor increbuisse Pontifex Archiepi-  
scopo Pragensi significaverat, relatæ  
superius a Nobis sunt sub N. DXXXIII.  
pag. 170.*

Venerabili Fratri Antonio Petro  
Archiepiscopo Pragensi

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

Clemens PP. XIII.

**S**i Fraternitas tua cogitet quæ  
per hos paucos annos Dominico Gregi  
e venerint mala, si pericula præterea cir-  
cumspiciat, quæ metum ingeunt, ne  
Ecclesia, quod Deus prohibeat, gravio-  
ribus adhuc conflictetur aerumnis, mi-  
nime mirum tibi videatur Nos rumo-  
re illo, de quo tibi scripsimus proxi-  
mis literis Nostris, nonnihil esse com-  
motos: quamquam de timore Nostro  
multum detrahebat carissimæ in Christo

filix Nostræ Mariæ Theresiæ Reginæ  
Apostolicæ singularis pietas, et Catho-  
licæ Religionis in omnibus regionibus,  
quas habet in Ditione sua, conservan-  
dæ, egregium studium atque præcipuum;  
magnamque fiduciam in tuo Ven. Fra-  
ter flagrantissimo zelo habebamus, et  
semper habebimus. De quo zelo tuo  
tam Nobis extant, et luculentissima do-  
cumenta in tuis iis literis, quas de Ec-  
clesiæ, et Diocesis tuæ statu haud ita  
pridem dedisti ad Congregationem Tri-  
dentinæ Synodi, interpretem; ut te in-  
colume, et sospite, nihil detrimenti exi-  
stimemus isthic importari quidquam  
posse Catholicæ Fidei. Sed omni Nos  
metu liberaverunt proximæ tuæ lite-  
ræ magnamque consolationem cæpimus,  
non modo quod ex ijs intelleximus,  
nihil tale, quod timebamus adversus  
rem Catholicam isthic moveri, sed quod  
eas etiam animadvertimus insignibus no-  
tis impressas tuarum Episcopalium vir-  
tutum, in quibus, omni posito nutu  
jure Nobis videtur Apostolica Nostra cu-  
ra posse conquirere. Et Fraternitati  
tuæ quam in Nostro charitatis gerim-  
us sinu, Apostolicam benedictionem  
peramanter impertimur. Datum Romæ  
apud S. Mariam Majorem sub annulo  
Piscatoris die trigesima Aprilis 1766 Pon-  
tificatus Nostri Anno Octavo.

DXXXV.

Declaratur quod pro furtis commissis  
in valetudinario Archihospitalis S. Spi-  
ritus in Saxia de Urbe, asyli immu-  
nitas minime sufragetur.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit  
Venerabilis Frater Ludovicus Patriarcha  
Antiochenus, et Præceptor, seu Com-  
mendatarius Archihospitalis Sancti Spi-  
ritus in Saxia de Urbe, puod juxta inve-  
teratam consuetudinem a ministris ejus-  
dem Hospitalis ii, qui furta in dicto  
Hospitali committunt consignati semper  
fuerunt exequutoribus tribnnalis Gubernii  
Almæ Urbis prædictæ, absque eo, quod  
nemo unquam reclamaverit, aut loci  
immunitatem opposuerit. Cum autem  
sicut eadem expositio subjungebat, no-  
vissimis temporibus super hujusmodi  
immunitate orta quæstio fuerit, et quam

Dat. die 30.  
Aprilis 1766.  
Anno VIII.

Licet anti-  
quitus, qui in  
hoc valetudi-  
nario furtum  
comisisset asy-  
li beneficio mi-  
nime, juvaren-  
tur, attamen  
posterioribus  
temporibus ea  
super re dn-  
bia excitari  
coeperunt.

maxime necessarium sit propter furta, quæ in dies ibidem contigere solent, quæstionem hujusmodi, ac quamcumque in hac re dubietatem penitus dirimere, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut dicti Hospitalis quieti, atque in eo ægrotantium, illisque inserventium ministrorum tranquillitati providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declarat Pontifex nemini immunitatem asyli suffragari debere pro furtis commissis in hoc valetudinario.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dictum Archiospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe pro furtis in Valetudinario patris tam pecuniarum, quam aliarum rerum illius usui destinatarum, aut ad inservientes, infirmosque pertinentes, nemini posthac ad asyli immunitatem suffragari posse auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, decernimus, et declaramus.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quacumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, quæ Nostris præsentibus literis adversantur, cæterisque contrariis quibuscumque. Volamus autem ut sanctio hujusmodi in lapide inscripta primo dicti Archiospitalis aditu ad perpetuam memoriam affigatur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die xxx. Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.



DXXXVI.

Dat. die 30.  
April. 1766.  
Ann. VIII.

Monachis in domo Carthusiæ Majoris Diœcesis Gratianopolitaneæ degentibus indulgetur ut a quolibet Antistite Catholico promoveri ad Ordines etiam Sacros possint, indulta eidem Antistiti a Domus Priore, seu Ministro Generali totius Ordinis eligendo, ut vasa, sacras supellectiles, cæteraque in Ecclesia prædicta existentia, benedicere possit facultate.

Dilecto filio Priori Carthusiæ Gratianopolitaneæ Diœcesis.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod dudum postquam fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor Noster, ut in spiritali Monachorum in domo Carthusiæ Majoris Gratianopolitaneæ Diœcesis degentium commoditati melius consulere, opportune providere volens, supplicationibus sibi tunc porrectis inclinatus de tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, omnibus, et singulis dictæ domus Monachis pro tempore existentibus idoneis repertis, et quibus aliud non obstitisset impedimentum, ut servatis alias servandis, a quocumque Catholico Antistite gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habente, quem ad id a pro tempore existente dictæ domus Priore, qui Minister Generalis totius Ordinis Carthusiensis esse consuevit, toties quoties opus esse videretur ad eandem domum vocari contigisset, ad omnes tam Minores, quam Sacros, et Presbyteratus Ordines intra ipsius domus Ecclesiam, servatis a jure temporibus, seu etiam extra tempora hujusmodi, aliquibus Dominicis, seu aliis festivis diebus se promoveri facere libere, et licite valeret, ac eidem Antistiti ordines hujusmodi, alias tamen juxta formam Sacrorum Canonum, et decreta dicti Concilii, illis impendendi, super quo ejus, et pro tempore existentis Prioris prædicti conscientias oneravit, facultatem auctoritate Apostolica concesserat. Ac propterea eidem Antistiti, ut Ecclesiam prædictam, atque illius Altaria, Calices, Patenas, vasa, vestes, cæteraque paramenta, et ornamenta Ecclesiastica, quoties opus fuisset

Hoc idem indultum a Paulo V. primitus concessum ad quinque annos, confirmatum postmodum a quatuordecim successoribus fuit

set, consecrare, et benedicere, polluta reconciliare, et alia Pontificalia munera exercere, sicuti locorum Ordinarii, Pontificali dignitate præditi, solent, posset; et vaeleret ad quinquennium inde proximum indulxerat, tam dictus Paulus, quam re: me: Urbanus VIII., Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. Innocentius XI. Innocentius XII., Clemens XI., Innocentius XIII., Benedictus XIII., Clemens XII. et Benedictus XIV. prædecessores Nostri concessionem, et indultum huiusmodi de quinquennio in quinquennium respective prorogarunt, seu de novo concesserunt, prout Nos pariter concessionem, et indultum huiusmodi ad quinquennium prorogavimus, seu de novo concessimus, et alias prout in eorundem Pauli, Urbani, Innocentii, Alexandri, Clementis X., Innocentii XI., Innocentii XII., Clementis XI., Innocentii XIII., Benedicti XIII., Clementis XII., Benedicti XIV. prædecessorum, et Nostri in simili forma Brevis die XXV. Junii MDCCLIX. desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressos, et insertos haberi volumus, prout fusius continetur.

Preces portectis pro præcitate indulti prorogatione, et Apostolica in id indulgentia.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ultimi quinquennii a Nobis, ut præfertur, prorogati, seu concessi finis instet, seu jam expiraverit, causæ vero propter quas licentiæ prædictæ alias emanarunt, etiam nunc durent, cupiatque propterea in præmissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri. Idcirco Nos te specialis favore gratiæ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, concessionem, et indultum huiusmodi a memoratis Paulo, Urbano, Innocentio X., Alexandro VII., Clemente X., Innocentio XI., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., Benedicto XIII., Clemente XII., Benedicto XIV. prædecessoribus Nostri, et a Nobis sicut præmittitur, factam, et prorogatam, seu de novo concessam ad aliud quinquennium proximum tantum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium prorogamus, extendimus, et ampliamus, seu de novo concedimus. Nec non omnibus, et singulis Monachis prædictis, licentiam, et facultatem, ac indultum, ut durante

dicto quinquennio per præsentem prorogato, seu de novo concesso, a quocumque Catholico Antistite gratiam, et communionem easdem habente intra domus prædictæ Ecclesiam, seu Cappellam eidem Antistiti benevisam, ad omnes tam Minores, quam Sacros etiam Presbyteratus Ordines, ut præfertur, se promoveri facere, eidem vero Antistiti, ut Ecclesiam prædictam, atque illius Altaria, Calices, Patenas, aliaque paramenta, et ornamenta Ecclesiastica prædicta benedicere, nec non Sacramentum Chrismatis omnibus, et singulis famulis in dicta domo degentibus conferre, aliaque præmissa facere, et exercere, servata alias in omnibus, et per omnia prædictarum literarum forma, et dispositione, libere, et licite possiat, et valeant, auctoritate, et tenore præsentis itidem de novo concedimus, et impertimur.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in dictis literis commissa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Derogatio contrariorum.

DXXXVII.

Mediolanensem Archiepiscopum hortatur ut strenue resistat injuriosis conatibus laicæ potestatis adversus Ecclesiam.

Dilecto Filio Nostro Josepho Tit. S. Mariæ supra Minervam S. R. E. Presbytero Cardinali Puteobonello nuncupato Archiepiscopo Mediolanensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili salutem, et Apostolicam benedictionem

§. 1. Ingruentibus in dies atrocioribus Ecclesiæ Dei calamitatibus, et erumnis, ille Nos gravissime conficit dolor, quod ipsi S. Matris Filii talia moliantur, e quibus oriantur omnino necesse est malorum omnium, quæ luctuosissima habentur et maxima. Nunc enim quid apud Vos designatur? Typographiam isthic a seculari potestate institui non ex inani rumore sed certis auctoribus intelleximus; in qua omnis generis libris non amplius ab

Eum comonet de evulgato rumore erigendi Mediolani Typographiam a Laica tantummodo censura dependentem.

Dat. die 7. Maii 1766. An. VII.



Ecclesiasticis censoribus, sed ab iis tantum quos eadem laica potestas præfecerit, examinandi, te primario Pastore, et hæreticæ pravitate Inquisitore inconsultis et insciis, imposterum excudantur.

Quantum periculosum Religioni sit, Ecclesiasticos censores in re Typographica removere.

§. 2. Quo quid Ecclesiæ contumeliosius, quid gregi dominico exitiosius? cum a re typographica, unde doctrinæ omnes longe lateque emanant in vulgus, illi amoveantur, quos Orthodoxæ Fidei morumque custodes Ecclesia constituit. Postulare videbatur Nostrorum iniquitas temporum, cum inridibili Christianæ Religionis et Catholicæ Fidei pernicie debacchatur quidvis opinandi effrenata licentia, ut ad luendam pietatis doctrinam ab Ecclesia duplicarentur excubiæ. Ecce autem a seculari potestate ipsa Ecclesia pellitur a custodia, et duo tantum censores adhibentur, quibus omnium approbandorum cujuslibet argumenti librorum nullis circumscripta finibus datur facultas.

Archiepiscopum hortatur ut veterem in hac re Ecclesiasticam disciplinam custodiat, et vindicet.

§. 3. Quamobrem dilecte Fili Noster, tua nunc exprompta pietate opus est et animi fortitudine; tuumque zelum, et tuendæ Ecclesiasticæ potestatis in hac re flagrantissimum studium ab Episcopali virtute tua majorem in modum requirimus; ut tuo consilio et opere ad nihilum redignatur ejusmodi perniciosi conatus, quibus in extremum videtur aducta discrimen Catholica Fides, et universa Christiana Religio. Quid enim malorum non erit pertimescendum, si sacrum doctrinæ depositum Romano Pontifici, et primariis Pastoribus traditum, vel ab eorum manibus laica potestas eripiat, vel iis adimat ejusdem sacri depositi custodiendi facultatem et copiam?

Quam saue disciplinam, regulis datis, defendere ceperunt Concilia quamplurima, et præsertim Lateranense, ac Tridentinum.

§. 4. De qua Orthodoxæ doctrinæ incolumitate servanda ecumenicæ Synodi ac præsertim Lateranensis et Tridentina vehementer sollicitæ, sapientissimas de edendis in publicum libris regulas providentia summa præscriperunt, quas omnes funditus deletas esse oportet, si Censores, et Typographi a laica tantummodo potestate huic rei præficiantur, quorum facultas neque ab Episcopo, neque ab Inquisitore pendeat; qui quoslibet libros quamcumque tradentes disciplinam suo arbitrato probent; quorum denique auctoritate, ac permissu, inscia, et inconsulta Ecclesia, et quod haud ita raro contigerit, etiam invita, prælo excusi libri in publicum prodeant.

Archiepiscopum a defendenda Eccle-

§. 5. Quantis vero intersit, ne libri evulgentur, quos Ecclesiastica po-

testas non antea probaverit, illud exemplo esse potest, quod ubi examinandum, qui prælo sint excudendi, nullus Ecclesiæ relictus est locus maximam Christiana Religio, et Catholica Fides a teterrimis et flagitiosissimis libris acceperit cladem. Supervacaneum ducimus, dilecte Fili Noster commemorare, quid cum Episcopalibus Mysteriis initiare, de servanda in Dominico Grege Catholicæ doctrinæ incolumitate Christo Jesu Domino Nostro ejusque sponsæ Ecclesiæ sanctæ promiseris; nec acriores cohortationis Nostræ stimulos pietati tuæ admovendos existimamus, ut omnes zeli tui nervos intendas, ad banc depellendam, quæ Ecclesiæ imminet, fœdissimam tempestatem.

§. 6. Illud autem esse te monitum volumus; ut Dilectio tua, et Inquisitoris sollicitudo in hac re ita procedatis, ut neuter vestrum inscio altero et inconsulto, quidquam consilij capiant, vel aliquid moveat; sed paribus et consentientibus utriusque vestrum voluntatibus omnia a vobis fiant, quæ in hac re faciendæ esse existimabitis. Quod ad Nos attinet, Deo adjutore nihil Nobis reliqui faciemus ad Nostram adversus hujusmodi exitialia molimina potestatem auctoritatemque Apostolicam exerendam; nec quidquam a Nobis vos desiderare patiemur studii Nostri, et officij; quo in hoc gravissimo negotio et maximo, vester zelus, vestra pietas, vestra sedulitas et industria quam maxime adjuventur. Tibique dilecte Fili Noster, intimo nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die Septima maij MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

In propositione defensione præstanda, conjuncto labore cum Inquisitione contra hereticam pravitatem, procedendum esse insinuat.

DXXXVIII.

Dat. die 13. Maij 1766. Anno VIII.

Beatificatio Servi Dei Simonis de Roxas Sacerdotis Professi Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum calceatorum.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Admonet Nos claviger Regni cælestis Apostolorum Princeps Pe-

Proomium.

trus (1) tamquam advenas, et peregrinos conversari in hoc sæculo, abstinentes a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam (2), ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis, in carne vivamus. Considerandum igitur, et assidue cogitandum (3) non habere hic Nos manentem Civitatem, sed futuram inquirere (4) corporis quidem pondere gravatos in terris detineri, sed conversatione nostra in Cælis esse. Illic cogitationes, et curas omnes conversas, atque intentas esse oportet, et peregre constitutos properandum in patriam regredi. Nam memores jam in sacro Baptismi lavacro satanæ, et mundo, ejusque pompis, atque operibus renunciassse, debemus: diabolica omnia vitare contagia, sancta, recta, ac Divina sequi, mundana omnia veluti aliena respuere, superna solum desiderare, temporalia despiceret, æterna quærere, terrena fastidire, cælestia amare.

Enumeratur  
insignes Servi  
Dei virtutes.

§. 2. Apostolicis præceptis instructus, et cælestibus disciplinis eruditus id totum, donec in mortali corpore moratus est, divina opitulante gratia, Servus Dei Simon de Roxas eximie in se completum, ac perfectum ostendit. Etenim pueritia, et adolescentia pie, ac innocenter exacta, quo longius se a mundanis rebus abduceret, ingressus est Ordinem Fratrum SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Calceatorum nuncupatorum, et in eo voto castitatis, paupertatis, et obedientiæ solemniter emissis, renunciatis ex animo, ac valedicens concupiscentiæ carnis (5), concupiscentiæ oculosum, et superbiæ vitæ, se, suaque omnia immortalis Deo dedicavit. Atque ita ab omni eo, quod in mundo est, liber, et solutus, quod ore promiserat, opere adimplens, arduum Christianæ perfectionis iter generosus Athleta arripuit. Divino autem auxilio roboratus, et patrocinio Beatæ Mariæ semper Virginis, erga quam intima animi devotione, et humili ferebatur affectu, suffultus, quotidie de virtute in virtutem proficiens, et præcipue in humilitatis studio, in paupertatis amore, misericordia in miseros, charitate erga Deum, fide, spe, aliisque virtutibus mirum in modum adeo progres-

sus est, ut non solum inter suos, sed etiam apud omnes Hispaniæ populos Sanctitatis fama late claresceret. Hac autem permotus cl. me. Philippus III. Hispaniarum Rex Catholicus, eum in Regiam Aulam accivit, ut in periculoso tot populorum regimine, et orationibus apud Deum, consiliis, et monitis inter homines adjuvaret, quo in difficili regnandi munere, veluti in lubrico, et fallaci itinere, rectum vitæ suæ cursum ad Dominum tuto dirigere posset. Itaque Vir Dei in Regali Aula positus tanquam lucerna super Candelabrum, jacentibus in tenebris sæculi lumen attulit, et ambulantes in via salutis exemplo suo præluxit. Nam inter Aulicas delicias, Regiæque splendoris servi Dei Simonis, qui jam animo exiverat ad Jesum extra castra hujus sæculi, improprium ejus, nempe Crucem Domini portans, humanis, ac terrenis rebus posthabitis, penitusque abjectis, una cogitatio, et una cura fuit gloriam Dei, et salutem animarum procurandi. Quare, ut aliorum animis Divinæ Majestatis timorem, ac reverentiam ingereret, et ab amore terrenarum rerum abstractos, ad dilectionem Dei, quantum in se erat, adduceret, nihil fuit laboris, diligentæ, industriæ, ac sollicitudinis, sicut insignia ipsius facta testantur, quod strenuus, ac fortis contra diabolicos impetus, et fallaces mundi, et carnis illecebras non impenderit.

§. 3. Ut autem tot excellentium virtutum Servi Dei exempla, quæ in diebus peregrinationis suæ viventes ea ætate homines adeo juverunt, posteris quoque prodesse possint, Nos, qui superna dignatione universo Dominico Gregi, licet immerito, et viribus impares, præpositi sumus, Apostolicæ servitutis Nostræ partes esse ducimus, tanti Viri honorem, atque venerationem ad Omnipotentis Dei gloriam, et Ecclesiæ suæ decus, ac spirituales fidelium ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum processibus, rite, ac recte confectis super vita, Sanctitate, et virtutibus heroicis, quibus idem Servus Dei multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus illius Sanctitatem a Deo patrata fuisse asserbantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno

Quorum virtutum intuitu Sacra Congregatio Sacris Ritibus præposita, ad Venerabilis Servi Dei Beatificationem tuto procedi posse constituit.

(1) Petr. c. II. v. 11.

(2) Ibid. c. IV. v. 20.

(3) Hebr. c. XIII. v. 140.

(4) Philip. c. III. v. 21.

(5) Joann. II. v. 16.

spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari, cum consuetis gratiis, et Indultis.

Pontifex hanc resolutionem approbando, et votis Christianorum Principum obsecundando, mandavit ut Venerabilis hic Servus Dei Beati nomine deinceps nuncupetur.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque eximiis carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum Regis Catholici, tum etiam carissimæ in Christo filiæ Nostræ Elisabethæ earumdem Hispaniarum Reginae Catholice Viduæ ejus Genitricis, et carissimi pariter in Christo filii Nostri Ferdinandi Utriusque Siciliae Regis, dictionum Karoli Regis, et Reginae Elisabethæ respectivi filii, et nepotis, nec non universorum Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum Ecclesiarum Regnorum Hispaniæ, ac totius insuper præfati Ordinis Fratrum SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum tum Calceatorum, tum Excalceatorum nuncupatorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio pariter et assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, et indulgemus, ut idem Dei Servus Simon de Roxas in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferenda) exponantur.

Plura decernit, quæ noviter adlecti Beati venerationem, illiusque celebrandam festivitatem respiciunt.

§. 5. Immagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo recitetur officium et Missa celebretur de Confessore non Pontifice singulis Annis, juxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani die xxviii. Septembris, cum dies xxix. ejusdem Mensis, qua ipse Servus Dei Spiritum Creatori reddidit, festo S. Michaelis Arcangeli impedita reperiat. Porro recitationem Officii, et Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infra scriptis, videlicet in Urbe Vallisoletana, ubi Servus Dei natus est, et in Oppido Matritensi Civitate nuncupato ubi Venerabile ejus Corpus requiescit, et in utraque Diœcesi Vallisoletana, et Toletana ab omnibus utriusque sexus Christianifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ac in toto Ordine præfato SSmæ Trinitatis Redemptionis Captivorum tum Fratrum Calceatorum, quam Excalceatorum nuncupatorum, et quantum ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus ad Ecclesias ejusdem Ordinis confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias, a die, quo ædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis locorum,

ac Civitatum, et Diœcesum, et Ordinis prædictorum respectivæ solemnia Beatificationis, ejusdem Servi Dei cum Officio, et Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respective constituta intra sex Menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia: pro qua re die xix. currentis Mensis assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima tertia Maii Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Sexto, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Derogatio contrariorum.

DIXL.

Dat. die 17. Maii. 1766. Anno VIII.

Dismembratio decem Conventum Ordinis B.M.V. de Monte Carmelo ex Provincia Minori Poloniæ ejusdem Ordinis, et erectio eorumdem in separatam Provinciam Lituaniam deinde nuncupandam.

Venerabili Fratri Antonio Archiepiscopo Ephesino apud carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Augustum Poloniæ Regem Illustrem, Nostro, et Apostolicæ Sedis Nuncio.

Clemens PP. XIII,

Venerabilis Frater

Salutem, et Apostolicam benedictionem

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Nationis Lituaniæ Provincie Minoris Poloniæ Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod cum eadem Provincia a finibus Ungariæ ad fines usque Curlandiæ se protendat, in eaque consistant decem Conventus Nationis Lituaniæ, itaut propter tam ma-

Recensentur incomoda modo obvenientia ex nimia extensione Provincie Minoris Poloniæ hujus Ordinis.

gnam locorum distantiam, non solum graves requirantur impensæ in visitationibus Conventuum, quæ a Provincialibus peraguntur; verum etiam Provinciales ipsi haud facile possint opportunum cum celeritate exhibere remedium in deordinationibus, quæ non sine damno Regularis observantiæ, et dicti Ordinis dedecore in dies eveniunt: quinimo cum inter Nationem Polonam, et Lituanam vigeat quædam animorum aversio, quæ plerumque inter finitimos populos oriri solet, hinc inter utriusque Nationis Religiosos facilliter quærimoniæ excitantur, quæ non solum edificationis nequaquam sunt Christifidelibus, sed ipsis aliquando scandalum afferunt, pluriesque evenit, quod Provinciales, potius quam commune dicti Ordinis bonum præ oculis habentes, peculiari favore prosequuti sunt Conventus minoris Poloniæ, quoties ipsi ejusdem Nationis erant, ac respective Conventus Lituaniæ, in casu, quo hujus Nationis Provinciales fuerunt. Qua de re cum in Religiosis ipsis renitentia oriatur in parendo Superiori, qui alterius Nationis sit, deficit in Provincia hujusmodi mutua illa concordia, atque tranquillitas ex quibus bonum Religiosæ Communitatis potissimum constituitur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat tot amoverentur mala, quoties diminuta nimia ejusdem Provinciæ magnitudine, decem Conventus Nationis Lituaniæ, Vilnensis scilicet, Lidensis, Zaswicensis, Kolesuicensis, Minscensis, Wladislaviensis, Lincowiensis, cum residentia in Chwatoynie ab aliis octo Conventibus Polonorum ejusdem Provinciæ dividantur, ac separentur, et in novam Provinciam dicti Ordinis Lituaniæ nuncupandam erigantur; quippe quia Provinciales pro tempore existentes utriusque Provinciæ utilius, et commodius propriam respective Provinciam gubernare poterunt; Religiosi vero Superioribus suæ Nationis libenter, ac diligentius obtemperare non recusabunt. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si

quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito etiam Venerabili fratre Nostro Friderico S. R. E. Cardinali Episcopo Portuensi ejusdem Ordinis apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem Protectore, Fraternalitati tuæ per præsentem committimus, ut veris existentibus narratis, et dummodo in dicti Ordinis, atque Provinciæ bonum, et utilitatem id expedire in Domino judicaveris, atque etiam auditis, et vocatis iis, quos vocandos esse censueris, prædictos decem Conventus Lituaniæ Nationis, nempe Vilnensem, Lidensem, Zaswicensem, Kolesuicensem, Minscensem, Wladislaviensem, Lincowiensem, Pampianensem, Rosieynensem, Kieydonensem, cum residentia in Chwatoynie a Provincia minoris Poloniæ dicti Ordinis, auctoritate Nostra Apostolica divides, dismembres, ac in perpetuum separe, et in aliam Provinciam ejusdem Ordinis Lituaniæ nuncupandam, quæ a propriis Provincialibus, cæterisque Superioribus juxta dicti Ordinis statuta eligendis, nominandis, et deputandis, in posterum regi, et gubernari debeat, dica auctoritate perpetuo erigas, constitues, et deposes, eosdemque Conventus una cum dicta residentia perpetuo a memorata Provincia minoris Poloniæ separatos, et divisos, atque ex eis aliam Provinciam Lituaniæ nuncupandam de novo perpetuo erectam, et constitutam, pari auctoritate, quocumque recursu, et appellatione remotis, declares, et pronuncies.

§. 4. Fratribus vero utriusque Provinciæ minoris scilicet Poloniæ, ac alterius Lituaniæ, ut præfertur, erigendæ, qui votum, sive suffragium in dicta Provincia minoris Poloniæ habebant, et ferebant, in posterum iisdem modo, et forma, quibus illo in eadem Provincia frui, et gaudere poterant, pari modo in propria cujuslibet Provinciæ uti, frui, et gaudere valeant auctoritate prædicta itidem concedas, ac decernas. Insuper dictæ novæ Provinciæ, ut præmittitur, erigendæ, et constituendæ, ejusque Conventibus, Domibus, ac Provincialibus, cæterisque Superioribus pro tempore existentibus, ac fructibus, et personis quibuslibet, ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus libertatibus, immunitatibus, prærogativis, præeminentiis, indulgentiis, et indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ, illarumque Conventus

Peculiares providentiæ servandæ in sequelam hujus indultæ divisionis Provinciarum.

Quæ sans mala facile amoverentur per separationem decem Conventuum Provinciæ Lituaniæ a Provincia Minoris Poloniæ.

Pontifex Apostolico penes Poloniæ Regem Nuncio facultates impertitur exoptata divisionis peragendæ, et novæ Provinciæ Lituaniæ erigendæ.

Domus, Superiores, et Fratres, aliæque personæ tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia, uti frui, et gaudere libere pariter, et licite possint, et valeant respective eadem auctoritate similiter perpetuo concedas, et indulgeas. Impertientes tibi ad effectus prædictos omnes, et quascumque facultates necessarias, et opportunas. Volumus propterea quod præstationes, seu contributiones, quæ a quolibet Provinciæ dicti Ordinis Conventu suppeditari illius Provinciali, in posterum pariter a duobus Conventibus Nationis Lituaniæ, ut præfertur, a Provincia minoris Poloniæ segregandis, dividendis ac separandis, qui sane Conventus neque ex majoribus sint, neque ex minoribus dictæ Nationis Lituaniæ in compensationem minoris numeri Conventuum Nationis Poloniæ suppeditari, a Provinciali Provinciæ minoris Poloniæ perpetuo dari debeant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes, easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, ac ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignorantèr contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, et Provinciæ primodictæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contra-

rium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanturis ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xvii. Maij MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXL.

Dat. die 31.  
Maij 1766.  
Anno VIII.

Indultum ut Monachi Congregationis Reformatæ S. Bernardi Italiæ, Ordinis Cistercensis, pileum, et biretum album quibus modo utuntur in nigri coloris commutari possint, et valeant.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **A**lias pro parte dilecti filii tunc existentis Abbatis Generalis Congregationis reformatæ Sancti Bernardi Italiæ Monachorum Ordinis Cistercensis Nobis exposito, quod in præcedenti Capitulo generali ejusdem Congregationis, major pars Abbatum vocem in præfato Capitulo habentium, summope- re desiderabat, colorem album in pileo, ac biretino per Constitutiones dictæ Congregationis a Sede Apostolica confirmatas præscriptum, in nigrum posse commutare, sicuti alii Monachi, et Regulares albo Monastico habitu utentes, hujusmodi commutationem impetraverant, propterea Abbates sigulorum Monasteriorum ejusdem Congregationis, et ipsomet Abbate Generali imperante suorum respective Capitulorum voluntatem per secreta suffragia exquisiverunt, atque ex biscentum tribus Monachis vocem in Capitulis Monasteriorum ejusdem Congregationis habentibus major eorum pars centum scilicet quinquaginta sex colorem album in pileo, ac biretino usque adhuc, ut præfertur, adhibitum in nigrum commutandum esse censuerant; hæc deinde sententia, cum a Consultoribus ejusdem Abbatis Generalis plenis suffragiis approbata fuisset, Nobis dictus Abbas humiliter supplicari fecit pro Apostolica mutationis hujusmodi coloris in pileo, ac bireti-

Exponitur votum Monachorum pro obtinenda hac pilei, et bireti commutatione ex albo in nigrum.



no concessione, ac super hujusmodi precibus, audito prius dilecto filio Nostro Ferdinando Maria tituli Sancti Silvestri in Capite S. R. E. Presbytero Cardinali de Rubeis nuncupato, ejusdem Congregationis apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectore, exquirendum esse censuimus votum Congregationis Capituli generalis, quod prope diem in hac Alma Urbe Nostra celebrandum erat. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus Abbas generalis memoratæ Congregationis in sessione habita die xxii. Aprilis proxime præteriti, octo dumtaxat suffragiis discrepantibus, reliqui vero viginti octo vocem in Congregatione, et Capitulo Generali hujusmodi habentes, colorem album pilei, et biretini in nigrum commutandum esse putaverint, Nobis propterea idem exponens supplicari fecit, ut coloris hujusmodi mutationem concedere, et in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex requisitam facultatem immutandi coloris albi in nigrum indulget.

§. 2. Nos igitur eundem Abbatem Generalem, et Monachos præfatæ Congregationis specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicto Abbati generali, et Monachis omnibus memoratæ Congregationis nunc, et pro tempore quancumque existentibus, petitam gratiam mutandi colorem album pilei, et biretini in nigrum, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, et indulgemus; volumus autem, ut pileus niger ea constet forma, quæ deceat Religiosos Viros, et filis ad latera non restringatur.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortire, et obtinere, dictisque Abbati, et Monachis omnibus plenissime in omnibus, et per omnia suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus

Apostolicis, nec non Congregationis, et Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Trigesima prima Mai Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Sexto, Pontificatus Nostri Anno Octavo.



Dat. die 11 Junii 1766.  
Ann. VIII.

DXLI.

Confirmatur electio. et coronatio Josephi II. in Regem Romanorum futurum Imperatorem

*Ad hanc ipsam Regis Romanorum electionem se referunt literæ quas dedimus hujus Continuationis Tom. II. Num. CCCXCVI, et CCCXCVII. pag. 336. et seq. itemque Alloquutio in Consistorio diei 4. Maii 1764 qua Pontifex Cardinalibus sequutam ipsam electionem participat eod. Tom. III. sub Num. CDXIII. pag. 457, tandem literæ Apostolicæ ejusdem diei et anni, qua Pontifex hic declarat, Regis Romanorum electionem haud approbatam a S. Sede censi debere, nisi prius a noviter electo impleretur ipsius electionis confirmatio per assuetas Literas Consistoriales elargienda. Præcedentium Regum Romanorum electionum confirmationes habentur passim in Bullario Mainardii, quarum postrema a Clemente XI. elargita fuit ex persona Caroli VI. die 26. Februarii. 1714. quum successivè Caroli VII. et Francisci I. indultæ a Benedicto XIV. haud reperiantur impressæ in in Benedictino Bullario*

Clemens Episcopus  
Servus Servorum Dei

Carissimo in Christo filio Nostro  
Josepho Romanorum Regi Illustri  
salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Proemium.

§. 1. **C**um vices illius, qui regnat in Cælis, et per quem Reges in Terris dominantur, et Principes imperant in Apostolicæ Sedis specula, meritis licet imparibus, sola ejus miseratione, et gratia freti, sustineamus, muneris Nostri partes esse intelligimus, quæ communis utilitatis, salutis, et præsidii causa comparata noscuntur, atque ad Sacri Romani Imperii statum, decus, et amplitudinem præcipue pertinent, judicii, et auctoritatis Nostræ munimine roborare.

§. 2. Proinde cum piæ memoriæ Franciscus Romanorum Rex in Imperatorem electus Genitor tuus, haud multo antequam e vita decederet, fere sentiens breve sibi vitæ cursum superesse, atque propterea perpendens Sacri Romani Imperii, et totius Christianæ Reipublicæ rebus, publicæque saluti optime consultum fore, si de idoneo adju-

tore, et successore sibi quamprimum provideretur, atque hanc ob causam se Francofurtum ad Menum contulisset, et convocatis illuc Imperii Principibus, cum eis egisset, ut Majestatem tuam ejus filium Primogenitum in Romanorum Regem eligerent, a cujus singulari virtute, et magnitudine animi, quæ ad tuendam Rempublicam opus essent, expectari merito deberent, iidem Principes consilium hujusmodi salutare sequuti, statuta die ibidem convenientes, te, qui Bohemiæ, ac etiam Hungariæ Regius Princeps eras, unanimi consensu, divina favente clementia, in Romanorum Regem futurum Imperatorem solemniter die xxvii. Mensis Martii Anni Domini MDCCLXIV. elegerunt: tuque electioni hujusmodi oblato tibi de more decreto, qua decuit modestia consentisti, ac deinde nempe die iv. Mensis Aprilis ejusdem anni in dictæ Civitatis Collegiata Ecclesia Sancti Bartholomæi, post Missarum solemniam, a Venerabile Fratre Nostro Emerico Josepho Archiepiscopo Moguntino celebrata, solito per te in manibus ejusdem Archiepiscopi præstito juramento, aliisque solemnibus rite peractis ibidem argenteam illam Coronam, qua Karolus cognomento Magnus in Civitate Aquisgranensi coronatus fuisse dicitur, de manibus ejusdem Archiepiscopi more, et pompa solita recepisti.

§. 3. Quoniam vero electionis, coronationisque negotium hujusmodi nuper per dilectum filium Nostrum Alexandrum Sanctæ Mariæ in Via Lata S. R. E. Diaconum Cardinalem Albani nuncupatum, ad hoc specialiter deputatum, coram Nobis proponi fecisti, petens, omnia præmissa per Nos Apostolica auctoritate confirmari, cæremoniis servare solitis in iis debite observatis. Nos de præmissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus diligenter perpensa, et mature considerata, ingenti in primis gaudio de eadem electione affecti, ad laudem, et gloriam Omnipotentis Dei, gloriosissimæque ejus Genitricis Mariæ, ac Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, nec non ejusdem Romanæ Ecclesiæ, et Sacri Imperii exaltationem, et honorem, electionem de persona Majestatis tuæ in Regem Romanorum futurum Imperatorem, et coronationem in dicta Civitate Francofurti factas ob præstantissimas animi, et corporis tui dotes, luculentissimam spem, quam de te in sanctæ fidei, et Religionis Catholicæ,

Petitio porrecta pro electionis, et coronationis confirmatione, et successiva Pontificis approbatione, atque confirmatio.

Refertur electio in Regem Romanorum, et successiva illius coronatio.

ac Nostra, et Romanæ Ecclesiæ, illiusque rerum, et honorum defensione, propagatione, et protectione, conceptam habemus, de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio, et unânimi consensu, auctoritate Apostolica, et ex certa Nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus etiam substantiales, qui aut ratione formæ, aut loci coronationis ejusdem, aut personarum Electorum eorumdem, qui ad suffragium ferendum, licet quovis legitimo jure eligendi destituti essent, admissi fuerint, sive etiam ex eo, quod idem Franciscus electus Imperator de manu Romani Pontificis auream Coronam non susceperit, seu quavis alia ratione, vel causa in hujusmodi electione, et coronatione quovis modo forsitan intervenerint, supplemus, teque sic electum, et confirmatum ad suscipiendum Imperialis dignitatis culmen suis loco, et tempore dignum, et idoneum decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.


§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis legibus Imperialibus, ac privilegiis Electoribus ipsis, a quibusvis alijs forsitan concessis, quibus etiamsi ad illorum derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, auctoritate, scientia, potestate, et tenore præmissis specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, sexagesimo sexto Tertio Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno octavo.

Loco ✠ Plumbi

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



✠ Ego G. A. Card. Cavalchini Ep. Ostien, et Veliternen S.G. Decanus

✠ Ego J. M. Ep. Portuensis, et S. Rufinæ S.R.E. Card. Lantes

✠ Ego J. F. Ep. Sabinen S.R.E. Card. Albani

✠ Ego H. Ep. Tusculan Card. Dux Eboracensis S.R.E. Vice-Cancellarius

✠ Ego F. Ep. Albanensis S. R. E. Card. Serbelloni

✠ Ego J. F. Ep. Prænestinus S.R.E. Card. Stoppanus

✠

✠

✠

✠

✠ Ego J. M. Tituli S. Cæcilie S.R.E. Presb. Card. Feroni

✠

✠

✠ Ego D. A. A. Tit. S. Petri in Vinculis S.R.E. Presb. Card. Galli Major Penitentiarius

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Karolus Tit. S. Clementis S.R.E. Presb. Card. Rezzonico ejusdem S.R.E. Camerarius

✠

✠ Ego F. M. Tit. S. Sylvestri in Capite S.R.E. Presb. Card. de Rubeis

✠

✠

✠

✠

✠ Ego F. M. Tit. S. Alexii S.R.E. Ep. Card. Castelli

✠

✠ Ego P. H. Tit. SS<sup>m</sup>æ Trinitatis in Monte Pincio S.R.E. Ep. Card. Guglielmi

✠ Ego P. P. Tit. S. Stephani in Monte Celio S.R.E. Ep. Card. de Comitibus

✠ Ego N. Tit. SS. Nerei, et Achilæi S.R.E. Presbiter. Card. Antonellus

✠ Ego Fr. L. Basilicæ SS. XII. Apostolorum S.R.E. Presbr. Card. Ganganelli

✠ Ego M. A. Tit. S. Mariæ de Pace Presbr. Card. Columna

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego T. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam S.R.E. Pr. Card. Bonaccorsi

✠ Ego N. S. Eustachii Diaconus S.R.E. Card. Corsinius

✠ Ego F. L. S. Mariæ in Porticu S.R.E. Diaconus Card. Chisius

✠ Ego A. S. Agathæ ad Suburrâ S.R.E. Diaconus Card. Torrigiani

✠ Ego J. C. S. Cæsarei S.R.E. Diaconus Card. Caracciplo de S. Bono

✠ Ego N. S. Gorgei in Velabro S.R.E. Diaconus Card. Perrelli

✠ Ego A. S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diaconus Card. Corsinius

✠ Ego A. SS. Viti, et Modesti S.R.E. Diaconus Card. Nigronus

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

C. A. CARD. PRO DATARIUS



DXLII.

Dat. die 11. Junii 1766. Anno VIII.

Conceditur Josepho II. Romanorum Regi in Imperatorem electo, ut ad ejus preces Primarias aliqua Beneficia Ecclesiastica conferantur.

Clemens Episcopus  
Servus Servorum Dei

Carissimo in Christo filio Nostro Josepho Romanorum Regi Illustri in Imperatorem electo, salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum post factam de persona tua per sacri Romani Imperii Principes Electorales, de consensu claræ memoriæ Francisci Romanorum Regis in Imperatorem electi Patris tui tunc in humanis agentis in Regem Romanorum electionem ac per Nos pro universæ Christianæ Reipublicæ salute confirmatam, nuper Nobis significaveris, te summopere desiderare personas tibi gratas, et acceptas gratia, et munificentia aliqua beneficia Ecclesiastica consequi posse. Nos quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque præconiis commendari, sublimium Principum desideria, et vota, quæ in Divini nominis, et personarum illi clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, et opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum, ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut quoniam in fidele sinceritate, et devotione illibatæ Ecclesiæ Sponsæ Nostræ te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione matrem, et Dominam tuam recognovisti, et ad ipsius honorem, et Sacri Romani Imperii decus, unctionem Victoriæ, et diadema, etiam Nostro ministerio, adveniente tempore, suscipere, et in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus Pugil, et Athleta, te adversus Schismaticorum, et Hæreticorum, Turcarum tyrannidem fidei, et Christiani nominis hostes insanias, et furores spiritualiter, et temporaliter armaris, et in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quæ tuæ celsitudini cedant ad honorem, et per quæ eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum.

Causæ presentis Constitutio.

§. 2. Hinc est, quod tuæ celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate, præsentium serie eidem celsitu-

Pontifex annuit postulationi collectionum sub Primariis precibus, no-

nullis exceptio-  
nibus superad-  
ditis.

dini tuæ concedimus, et indulgemus, quod si per te quibusvis collatoribus, seu collatricibus quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, vel Regularium, Ordinum quorumcumque, per sacrum Romanorum Imperium ubilibet constitutorum, etiamsi qui, vel si quæ Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, et Conventus fuerint, super singulis beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi regularibus in singulis Cathedralibus etiam Metropolitanis, Collegiatis, et aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi beneficia hujusmodi, canonicatus, et præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, et ipsæ Præbendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Præbendæ esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus, et Metropolitanis post Pontificalem majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorumdem collatorum, et collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, et admittantur preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primaria iidem collatores, et collatrices, salvo quod singulæ collationes, et singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra, quam in uno beneficio non graventur, ac ipsi collatores, et collatrices saltem quatuor beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi precibus inclinati, ac nominationibus parere, et intendere, nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit juxta earundem precum, aut nominationum tenorem recipere, et admittere debeant, ac etiam teneantur. Ita quod Celsitudo tua unam, et eandem personam supradictis collatoribus, et collatricibus simul, vel successive nominare possit; ita tamen, quod quamprimum persona sic nominata, de aliquo beneficio provisiva fuerit, ejus nominatio quoad alios collatores, vel collatrices facta, ipso jure expiret. Et quoad easdem preces canonicatum, et

præbendam, ac dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in una Ecclesia pro unico dumtaxat beneficio computari debere declaramus, quodque quicumque quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canouici singuli videlicet in illis, quos pro singulis personis prædictis precum, et nominationum hujusmodi, et ad hoc, ut illæ sortiantur effectum etiam præsentium exequutores deputaveris per te, vel alium, seu alios beneficia præfata cum in quibusvis etiam ordinariis collatoribus per constitutiones Nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, et indulta quæcumque quomodolibet concessis, et in posterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, et quæ personæ, pro quibus preces, et nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi preces, seu nominationes hujusmodi ad illa se extendant infra mensem, postquam ipsa vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda, etiamsi ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ alias quam per Constitutionem felicis Recordationis Benedicti Papæ XII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit = *ad Regimen* = generaliter reservata existant; et ex diversis personis vacaverint, et personæ nominatæ præfatæ tempore assequutionis beneficii, ad quod nominatæ fuerint, aliud beneficium in eadem Ecclesia obtineant, ac secundum statuta, et consuetudines Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi constiterint, vel indulta Ecclesiis concessa capaces videlicet in ætate legitima constitutæ, aut de legitimo matrimonio procreatæ non sint, dummodo quoad hujusmodi qualitates alias cum eis canonicè dispensatum, et Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda talia sint, quæ sine dispensatione Apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa, cum omnibus juribus, et pertinentiis suis, personis ipsis etiam duo, vel tria, seu plura quarumcumque qualitatum, et cujuscumque annui valoris Ecclesiastica beneficia obtinentibus, et expectantibus conferre, et assignare, nec non omnia, et singula, quæ ad hoc ut precum, seu nominationum, et acceptationum, ac collationum hujusmodi succedant effectus opportuna fuerint facere, auctoritate Nostra per cen-



suram Ecclesiasticam exequi possint, et valeant, super quibus ipsis plenam, et liberam, autoritate prædicta, tenore præsentium potestatem concedimus, ac etiam facultatem, ac personis prædictis pro quibus hujusmodi primarias Preces porrigi, seu nominationes fieri contigerit, quod ipse expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum de quibusvis beneficiis pro eis factarum gratiis, et mandatis de providendo ipsis de iisdem, si quæ ipsis concessæ fuerint una cum gratia Precum, et nominationum primariarum earundem uti possint, nec aliqua gratiarum hujusmodi consumpta, reliquæ earundem cassæ censeantur, vel irritæ indulgemus.

§. 3. Non obstantibus Nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, et publicatione, et diligentis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem ordinariorum Collatorum, nec non expectativa in forma pauperum habentium, ac Illustrium, et Graduatorum, ac Sedis prædictæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, nec non quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, et publicandis, et aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, statutis, et consuetudinibus illis præsertim quibus in Ecclesiis in quibus majores, et minores Præbendæ hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Præbendam assequi valeat, nisi ad illam de minori gradatim, et per optionem ascendat, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque, aut si aliquibus super provisione sibi facienda de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis speciales, vel generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus literæ etiam Nostro, vel eas concedentium proprio motu, aut cujusvis etiam quocumque respectu, et ad cujuscumque instantiam sint concessæ, vel concedantur in posterum, seu si speciales de hujusmodi Beneficiis per Nos, seu Sedem præfatam, aut quæcumque aliæ quarumcumque nominandi, et reservandi facultatum, quibusvis, quacumque etiam Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, per Sedem præfatam concessarum, vel concedendarum vigore reservationum, sive earundem facultatum obtentu ad hujusmodi beneficia

quarumcumque personarum nominationes pro tempore factæ fuerint, quas quidem literas etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel alias quomodolibet processum fuerit, nec non reservationes, facultates, et nominationes cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis clausulis, quæ præsentium effectum suspendere, impedire, vel perimere, aut alias eisdem præsentibus quomodolibet obsistere viderentur, sive ex certa scientia, Nostra, vel simili motu, sive alias sub quibusvis forma, et expressione verborum, et quæ fortassis totalis sui tenoris insertionem ac illorum, quibus concessa sunt, vel fuerint, nominum, et cognominum individualem expressionem præsentibus faciendam, ad hoc ut illis per easdem præsentibus sufficienter derogetur, exigunt, vel requirunt, et quæ ipsis præsentibus, perinde ac si earum tenor de verbo ad verbum insertus foret, pro expressis habeantur, emanarint, ac mandata de providendo inde sequuta cum processibus per ea pro tempore habitis, nisi illi, pro quibus emanaverint, ut præfertur, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium numero fuerint ad Beneficia, quæ Precum, et Nominationum Primariarum vigore per personas, pro quibus illæ factæ fuerint, acceptari, et de quibus eis provideri contigerit, minime extendi, quinimo in illorum executione personas ipsas omnibus, et quibuscumque earum literarum, et expectatarum, et reservationum hujusmodi vigore, et cum quibusvis antelationum prærogativis, etiam illis, quas certis Nostris familiaribus continuis commensalibus in Cancellaria Apostolica, et aliis Nostris Literis ad effectum, ut in aliis in assequutione Beneficiorum conferendorum præferantur, nominatim descriptis concessimus, et cum similibus derogatoriis clausulis, quæ nulli quominus præsentium succedant effectus suffragari debeant expectantibus, etiamsi illarum obtentu in quibusvis Ecclesiis in Canonicos recepti ac de numero ipsorum Familiarium continuorum Commensalium antiquorum fuerint, nec non gratias in communi forma pauperum habentibus, ac Officialibus, et Illustribus, ac alias quascumque facultates habentibus, etiam Nostris Familiaribus, continuis commensalibus antiquis, et descriptis, et in posterum describendis, dictis Cardinalibus dumtaxat, exceptis anteferri volumus, sed nullam per hoc expectantibus

præfatis quoad assequutionem aliorum præjudicium generari, seu si dictis Collatoribus, seu Collatricibus, vel quibusvis aliis comuniter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas Apostolicas non facientes plenam, atque expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel specialis cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de qua, ejusque toto tenore habenda sit in Nostris literis mentio specialis, aut si personæ præfate præsentibus non fuerint ad præstanda de observandis Statutis, et consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus hujusmodi Beneficia fuerint, ut præfertur, solita juramenta, dummodo in absentia sua per Procuratores idoneos, et cum ad Ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa præstent, nec non Concordatis Nationis Germanicæ, ac eorundem Concordatorum confirmatione, ac prædictis, et quibuscumque aliis quancumque editis, et edendis Constitutionibus, et Regulis Nostris, et dictæ Cancellariæ ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, et satisfactionem, seu observantiam habentes preces, seu nominationes hujusmodi minime teneantur, nec ipsæ preces sub illis comprehendantur quoquomodo, nec non quibusvis privilegiis, indultis, et literis Apostolicis, et quibuscumque gratiis, expectativis specialibus, et generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, et incorporationibus, suppressionibus, et extinctionibus perpetuis, et temporalibus nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominandi, et aliis conferendi, commendandi, supprimendi, et extinguendi, aliisque citra accessus, et regressus de consensu facultatibus, literis, mandatis, et indultis quibuscumque etiam cum provisionibus, commendis, et aliis dispositionibus ex tunc, et gratiis quibusvis personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel con-

ditionis existentibus, et quacumque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, sive Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate præ eminentia, nobilitate, et excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fulgentibus, et familiaribus continuis Commensalibus Nostris, etiam descriptis, et antiquis, et in eorum, ac Ecclesiarum etiam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, ac Patriarchalium, Principalem, Monasteriorum, Mensarum, Capitularum, Dignitatum, et aliorum Beneficiorum quorumcumque, cum cura, et sine cura sæcularium, et quorumvis Ordinum Regularium, locorum piorum, Universitatum Studiorum, et aliorum quorumcumque, aut in nullis favore, aut eorum, nec non jurium cessorum, vel oblatorum, aut spoliatorum, damnorum etiam per Infideles illatorum, et obsequiorum Nobis, Romanæque Ecclesiæ, vel præfate Sedi, aut pro Fide Catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus, et urgentissimis, et insolitis, nec non exprimendis causis, consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione, vel respectu, ac mutu proprio, ac ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, et cum quibusvis antelationum prærogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, seu pensionibus, et gratiis, ac restrictionibus, modificationibus, exceptionibus, et annullativis, iniativis, ac derogatoriis derogatoriis, nec non præfate, et alias quascumque concessas, et concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, nec non mentis, et intentionis, ac perpetuæ, et immutabilis voluntatis Nostræ fuisse, et esse de non revocando, ac suspendendo gratias easdem, et illis non derogando quomodolibet attestantibus, et in pristinum, et validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti, et initi contractus ac perpetui statuti, nec non gratias ipsas, ut de actu vacantibus expectare, et ex tunc vere, et non fite etiam quad possessionem prædictorum Beneficiorum, ac omnes juris, et facti effectus plenum esse sortitos effectum, decernentibus, et declarantibus, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis per Nos, et Sedem Apostolicam præfate, aut ejus Legatos in genere vel in specie, etiam nominatim de dictis Beneficiis, et alias quomodolibet emanatis: Quibus etiam in aliis, quod ille non nisi certis mo-

dis, et formis inibi expressis, et nominatis, verbisque et signis inibi appositis, et cum diversarum literarum Apostolicarum expeditione, et intimatione etiam diversis temporibus facienda, ac de consensu eorum quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari possit, et quatenus suspenderentur, aut illis derogaretur, toties de novo, et sub quacumque data per illos, quorum interesse concernebatur, eligenda, concessa, et facta sint, et esse censeantur, et expediri possint; ac si, et non aliter per quoscumque Judices, et personas judicari debeat, caveatque expresse illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, ac modos et formas hujusmodi pro individuo servatis habentes, ad effectum presentium omnino derogamus, et in dictis Beneficiis cum, ut præfertur, vacaverint effectum sortiri, et locum sibi vindicare non posse decernimus, nec non præsentibus literas nullatenus de subreptionis, et obreptionis vitio, aut intentionis defectu notari, aut impugnari posse, nec debere, et si per quoscumque tam ordinaria, quam delegata, aut mixta auctoritate fungentes Judices, et personas ubique judicari, cognosci, atque decidi debere, sub lata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, cognoscendi, et decidendi facultate, nec non irritum, et inane quidquid secus super præmissis omnibus, et singulis, vel eorum aliquo, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Præterea quia difficile foret præsentibus literas ad singula loca deferri, volumus, ac dicta auctoritate Nostra decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ubique adhiberetur eisdem presentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, concessionis, indulti, derogationis, et voluntatis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo Sexagesimo

*Bull. Rom. Tom. III.*

Sexto, Tertio Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno octavo = Loco ~~Plumbi~~.

DXLIII.

Dat. die 11.  
Junii 1766.  
An. VIII.

Primariarum Precum indultum Imperatori electo concessum participat Pontex singulis in Romano Imperio existentibus Præsulibus, et Capitulis, et plenam concessionis observantiam injungit.

Dilectis Filiis Capitulis, et Canonicis quarumcumque Cathedralium etiam Metropolitanarum, et Collegiatarum Ecclesiarum per Sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum difficultates illæ, quæ alias circa Preces, quas primarias vocant, subortæ fuerant, locum in præsens, benedicente Domino, non obtinuerint, nullumquæ propterea charissimo in Christo Filio nostro Josepho Romanorum Regi in Imperatorem electo, Pontificiæ nostræ benevolentiæ argumentum deesse velimus, id vobis nunc notum et perspectum, dilecti Filii, esse æquum ducimus, simulque vos admonere, ut eas Preces, quas de cætero a dicto Josepho Rege sive vobis, sive aliis quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per Sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium, pro Beneficiorum hujusmodi, cum primum illa vacaverint, collatione, servatis tamen restrictionibus, et exceptionibus solitis, facienda, porrigi, seu exhiberi contigerit, omnino recipiendas, et admittendas esse noscatis. Hæc dum vobis, dilecti Filii, significamus, minime veremur, quin illas pro filiali vestro in Nos studio debitæ executioni demandaturi sitis; Vobisque interim cælestium Charismatum incrementa ex animo a Deo precamur, ac perpetuum paternæ charitatis Nostræ pignus, Apostolicam benedictionem permanenter impertimur. Volumus autem, ut presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate cou-

B b

stitutæ manitis, eadem prorsus fides in Judicio ex extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Dat. die 11.  
Junii 1766.  
Anno VIII.

## DXLIV.

Omninus Ecclesiasticis personis servitio addictis, aut in Monasteriis habitantibus Monachorum Congregationis Camaldulensis Ordinis S. Benedicti, facultas indulgetur recitandi divinum Officium, et horas Canonicas juxta ritum dictæ Congregationis.

*Iam alias Ecclesiasticis personis servitio addictis Monasteriorum Regularium Ordinum, hanc ipsam indulgerat facultatem recitandi Officium divinum juxta ipsorum Ordinum ritum. Sic pro iis servitio addictis Monasteriorum, et Granciarum Congregationis Casinensis Ordinis S. Benedicti adest hujus Pontificis Constitutio Anni 1759 Febr. 14. relata hujus Continuat. Tom. I. sub. Num. XXXIX. pag. 93. Pariterque pro iis inservientibus Monasteriis Ordinis S. Benedicti Congregationis Olivetanæ adest Constitutio altera hujus Pontificis Anni 1764 Augusti 3. relata hoc Tom. III. sub Num. CDXXVI. pag. 7.*

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Preces porrectæ pro facultate recitandi divinum Officium juxta ritum hujus Congregationis, pro singulis in hoc indulto comprehensis.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Benedictus Mittarelli Abbas Generalis Monachorum Congregationis Camaldulensis Ordinis Sancti Benedicti, quod in nonnullis Monasteriis ejusdem Congregationis, ac in iis præsertim, in quibus cura animarum exercetur, vel propter infirmitates vel alias ob causas aliquando accidit, quod Monachi aut muneribus Parochialibus addicti, aut aliter legitime impediti, Choro, et Divinis Officiis interesse nequeunt, in eisdem vero Monasteriis, eorumque Ecclesiis, Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas Sæculares illorum servitio addictas reperiri, quarum ope Officium Divinum, et horæ Canonice juxta ordinem, seu ritum Mona-

sticum recitari valent; eisdem autem Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis Sæcularibus, quæ ad recitationem Divini Officii obstructæ sint, valde onerosum, incommodumque esset, si Divinum Officium, horasque Canonicas juxta ritum Romanum denno recitare deberent, ac propterea ipse Joannes Benedictus Abbas Generalis, tam suæ, quam aliorum Abatum ejusdem Congregationis, et personarum Ecclesiasticarum Sæcularium hujusmodi conscientie per Nos consulere, ac in præmissis opportune providere plurimum desiderat.

§. 2. Nos piis dicti Joannis Benedicti Abbatis Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et penis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis personis Ecclesiasticis Sæcularibus servitio Monasteriorum, et Ecclesiarum, ac Granciarum dictæ Congregationis addictis nunc, et pro tempore existentibus, aliisque intra Clausura eorumdem Monasteriorum assidue habitantibus, et cum Monachis conviventibus, ut donec, et quousque in servitio prædicto, seu in Conventu intra Clausura cum Monachis perduraverint, si Divinum Officium, horasque Canonicas juxta ritum dictæ Congregationis seu dictorum Monasteriorum in quibus ipsi existunt, seu servitio addicti reperiuntur, non solum in Choro cum Monachis, sed etiamsi in Choro una cum aliis Monachis, minime præsentibus sint, seorsim, et separatim recitare possint, et valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, permittimus, et indulgemus.

§. 3. Decernentes, easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et in egros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos; etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et deffiniri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Pontifex pettam facultatem concedit.

Clausula suhata, et decretum irritans.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac Ordinis, et Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XI. Junii MDCCLXVI Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXLV.

Episcopo Michoaconensi, qui cum Pontifice gratulatus fuerat De Constitutione qua nuper confirmatum fuit Institutum Sac. Jesu, causas hujus confirmationis designat.

*De hoc eodem Argumento vide Literas relatas hoc Tom. III. sub n. DXXX. pag. 175. et adnotationem ibidem appositam*

Venerabili Fratri Petro Anselmo  
Episcopo Michoaconensi

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

Quæ fuerint  
causæ confir-  
mationis Insti-

§. 1. Gratulabundas tuæ Fraternalitatis accepimus literas quæ Nobis  
*Bull. Rom. Tom. III.*

nunciant quantam tibi lætitiâ attulerit Nostra de Instituto Soc. Jesu Constitutio. Multæ ad eam condendam evulgandamque causæ Nos impulerunt; quarum illa præcipua, ne cum illud Institutum ab hominibus parum Deum timentibus atrocibus maledictis præsunderetur, speciem silentio Nostro præberemus, recessisse Nos a prædecessorum Nostrorum judicio qui merito illud laudarunt et approbarunt, et ab Ecclesia, quæ ad potissimam sacri Ministerij partem Societatem Jesu his ducentis annis adhibuit, dissentire quodammodo videremur. Ea igitur Constitutione declaratum oportuit, Nos eadem plane de illo Instituto sentire, quæ universa cum prædecessoribus Nostris usque adhuc sensit Ecclesia.

§. 2. Et ipsa præterea justitiâ postulabat ut homines, qui pro æterna proximorum salute procuranda se et labores suos, suamque vitam omnem devoverunt, a mendacissima illa teterri- maque criminatione viudicaremur, quam non tam Ecclesiæ hostes, quam ejus Societatis inimici eos tamquam excompacto conjuratos ad evertendam Evangelicam morum doctrinam impudenter sunt ausi traducere. Sed jam est omnibus exploratum, non aliam ab causam quam quod adversus novatores Catholicam Fidem, et Apostolica decreta strenue defenderint, eos fuisse tam misere divexatos. Quo magis faciendum Nobis fuit, ut in tantis ærumnis consolatio aliqua ad eos perveniret ab hac Apostolica Sede. Ceterum ea literis tuis plane intelligimus, tibi nihil opus esse commendatione Nostra, quo illos tue foveas patrociniis; sed tamen illud tibi diserte volumus profiteri, quidquid in eos favoris et gratiæ contuleris, id Nobis fore gratissimum: tibi que Ven. Frater omni animi Nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Vigesima Tertia Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

tuti Societatis  
Jesu recensetur.

Laudes, et me-  
rita hujus In-  
stituti.





Dat. die 25.  
Junii 1766.  
Ann. VIII.

## DXLVI.

Re Regiis Edictis Ecclesiasticæ potestati adversis conqueritur cum Christianissimo Gallorum Rege, ejusque Religionem provocat ut Gallicanos Episcopos hac de re benigne audire, eorumque preces excipere velit.

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

De nuper evulgatis Regiis Edictis Ecclesiasticæ libertati infensis condolet cum Francorum Rege.

§. 1. **P**ateretur Regia Majestas tua paterna Nos libertate et aperto animo, gravissimum tibi significare dolorem, quem ex tribus, ut vocant, Arrestis a Regio tuo Consilio die Vigesima quarta proxime lapsi Mensis Maij promulgatis accepimus. Pro certo habemus, Majestatem tuam cum illa lucem proferri jussit, non alio spectasse, quam ut Religioni prodesset, Ecclesiæ pacem constabiliret, publicæ tranquillitati consuleret. Verum acerbissime doluimus, et dolemus, tibi, carissime in Christo Flii Noster, minime in conspectu positos fuisse abusus ex illis Arrestis sine ulla dubitatione orituros, quibus nervi omnes divinæ illi potestati præcidantur, quam Christus Dominus ligandi atque solvendi, Gregem pascendi, eumque a veneriatis pascuis prohibendi Sacris Pastoribus tradidit.

Prælaudatum Regem hortatur ut Gallicanos Antistites hac de re benigne audire, illisque obsecundare dignetur.

§. 2. Illud tamen paululum de dolore Nostro detraxit, quod Majestatem tuam comperimus prono esse animo ad Episcopos isthic ad Generalia Comitia congregatos benigne audiendos; quin etiam eos voluisse re fieri artiores, si quid Ecclesiæ per illa Edicta impositum esse gravius existiment, minimeque ferendum, paratissimum esse te eorum voces audire, et æquis auribus. Quamobrem ista tua, qua es summopere præditus benignitate atque clementia jure confisi, ad eosdem Episcopos literas dedimus, quibus eos hortamur, te ut adeant cum ea fiducia, quam eorum animis injicere debet non tam ipsius bonitas causæ, quam summum tuum in Jesu Christi Sponsam studium, egregia voluntas, et præclara devotio, Eos cum in tuum conspectum admittes existimato, carissime in Christo Fili Noster, Sanctam ipsam Matrem tuam

Ecclesiam introeuntem ad Primogenitum Filium suum tendere supplices manus, et in extremo periculo positam, Regium illius auxilium et fidem infirmis precibus implorare. Nos interea Deum impensissime oramus, ut qui tuum ut omnium Regum cor habet in manu sua, Majestatem tuam ad ea capessenda consilia permoveat, quibus Ecclesiæ sua maneat incolumis dignitas et potestas, tuaque Religiosissimi Principis augeatur laus et gloria. Et Regiæ Majestati tuæ, quam in paternæ charitatis Nostræ gerimus sinu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die Vigesimaquinta Junij MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

## DXLVII.

Dat. die 25.  
Junii 1766.  
Ann. VIII.

De eodem argumento scribit Universis in Gallia Antistitibus ad Generalia comitia congregatis, eisque significat, ut Christianissimum Regem adeant, illiusque in subjecta materia Religionem excitent.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Lutetiæ ad Generalia comitia congregatis.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **Q**uam graviter animo simus commoti, cum tria legimus, ut vocant, Arresta die xxiv proxime elapsi Mensis Maij a Regio Consilio Christianissimi Regis edita, facile vobis fuerit existimare, quos eadem causa itidem percussos et exanimatos accepimus. Quid enim fiet in posterum divina Ecclesiæ potestate, si cum sese exercere suoque ubi opus fuerit jure uti, et ad sibi parendum fideles adducere voluerit, a laicæ potestatis omnino pendere debeat nutu, nec plus ab iis obedientiæ possit exigere, quam quod eidem Sæculari potestati libuerit? Quod num censebimus ad internoscendos utriusque potestatis finis constitutum esse discrimen, si in manu sit et arbitrio laicæ potestatis illud efficere, ut frustra sit quidquid in rebus Fidei vel disciplinæ, vel etiam in doctrina morum Ecclesia decreverit?

Enumerat perniciosos effectus evulgatorum edictorum in perniciem Ecclesiasticæ potestatis.

Videtis VV. FF. in hoc veluti servitio opprimatur Ecclesia, quam gravi calamitate vineam Domini everti denique oporteat. Nec preterea vestram fuget prudentiam quanta inde extimescenda perniciēs quod Sæcularis potestas sibi vindicet Regularium Ordinum Constitutiones ad examen revocare, easque reformandas suscipere, hac Sacra B. Petri Sede inconsulta, quam ubi res agatur ejusmodi, adeundam esse nemo negaverit, et vel ipsa haud ita rara in isto Regno probant exempla.

Episcopos hortatur ut cum fiducia Christianissimum Regem adeant, illisque in tanta asperitate auxilium obtenturos fore confident.

§. 2. Ceterum persuasissimum Nobis est, Xño Regi minime in conspectu positum esse, quam multi, quamque graves adversus Ecclesiam ex illis edictis oriri possunt abusus, quibus non dubitamus rectissimam ejus mentem egregiumque in S. Ecclesiam studium quam longissime abhorrere. Eorum igitur expressam quodammodo, vivisque coloribus depictam imaginem Regiæ illius Majestati vestrum est ob oculos ponere, idque eo faciendum est vobis alacrius, quod idem Rex Xñus discrete declaravit, si quid vobis sit querelarum, quod ad eum velitis afferre, se rationibus vestris benignas facilesque aures præbiturum. Nos quo facilius planiusque Fraternitatibus Vestris ad eum pateat aditus, Regiæ illius Majestati scribimus, acerbissimum illi nunciantes dolorem, quem ex illis edictis cæpimus, ejusque obtestamur Religionem, ut vos æquo animo audiat, cum Regiam ejus opem imploraveritis, ut, quam a Xto Dño accepit, sua constet Ecclesiæ actiosa vis et potestas. Et Fraternitatibus Vestris, quarum flagrantissimum in Deum, et in Jesu Christi sponsam zelum et studium numquam satis laudabimus, omni animi Nostri affectu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ die xxv. Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.



DXLVIII.

Dat. die 16.  
Junii 1766.  
Anno VIII.

Respondet Episcopo Chiapensi cum Pontifice gratulanti de Constitutione, qua confirmatum fuit nuper Institutum Soc. Jesu

*Consule de hoc eodem argumento Epistolam supra relatam sub num. DXLV. pag. 195. et adnotationem in ea appositam.*

Venerabili Fratri Josepho Episcopo Chiapensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. Nihil Societati Jesu honorificentius testimonio tuo, nihil præclarior, qui literis tuis summo studio gratias Nobis agens pro Constitutione, qua ejus Institutum laudavimus, ac de novo approbavimus, discrete profiteris existimare te hoc gratiarum officio, Episcopali tui muneri satisfacere. Et sane permagni tua interest eam stare Societatem, unde scribis tibi strenuos impigrosque suppetere adjutores, quorum opera tuis tibi fit levior Episcopalis labor. Episcoporum omnium, qui literis suis eam Constitutionem Nobis sunt gratulati, una vox est, Societatem Jesu Catholicæ Ecclesiæ fuisse et esse maxime fructuosam atque frugiferam, quo præconio post conditam eadem Constitutionem nihil Nobis potest esse delectabilius. Deum precemur, ut in ea Societate nunquam refrigerentur studia pietatis, eademque semper illi maneat perpetua defendendæ Catholicæ Religionis voluntas, et in hanc Sacram B. Petri Sedem incorrupta fides et præclara devotio, ut qui ejus profitentur Institutum in his tribulationibus, quibus in hac iniquitate temporum conflictantur, vere Deo dicere possint = *Hæc omnia venerunt super Nos, nec oblitus sumus tui, nec inique egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum* =

Quam frugiferum fuerit in Vineam Domini Institutum Societatis Jesu, cum gaudio recordatur.

§. 2. Interea primarij Pastores, qui ex hujusmodi strenuis fidelibusque Operariis tantos in suis quisque Diœcesibus tamque uberes fructus capiunt, eos, ut æquum est patrociniis suo tueantur: quod Fraternitatem tuam fecisse arbitramur et facere, quantum intelleximus ex literis tuis, quæ tot tantisque co-

Societatem Jesu huic Episcopo, ceterisque Antistitibus comendat.

rum laudibus sunt refertæ , ut nulla Nobis honorificentiora suppetant verba , quibus ea Societas tibi possit fieri commendator. Tibique Ven. Frater intimo Nostri cordis affectu , Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

## DXLIX

Dat. die 26.  
Junii 1766.  
Anno VIII.

Cum Hispaniarum Catholico Rege conqueritur , in Hispania parari legem , quæ Ecclesiam prohibeat amplioribus facultatibus augeri.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico

Carissime in Christo fili Noster salutem ,  
et Apostolicam benedictionem

Quanta sit Ecclesie injuria profutura ex novissima hac lege conqueritur.

§. 1. **M**agnam Nobis molestiam gravis quædam jamdudum attulerat fama , id apud Regiam Majestatem tuam agi , ut legem ferres , ne cui liceat in posterum Regiæ ditioni tuæ subjecto , bonorum suorum dominium quovis titulo ad Ecclesiam transferre. Quia lege novissime in quibusdam regionibus lata non modo vehementer dolemus Ecclesie miseram vicem , quæ in tantam venerit contemtionem , ut contra omne jus et fas a fidelium liberalitate excludatur , unde iniquum esset vel vilissimum quemque excludi , sed etiam de spirituali eorum pernicie gravissime angimur , tum qui ejus legis suasores fuerunt , tum qui conditores. Cum autem rumorem illum paulatim relangnescere videremus , sperabamus nihil amplius ea de re Majestatem tuam cogitaturam. Sed cum inexpectato eandem rem in Regio consilio tuo examinari acceperimus , pro Apostolico munere divinitus Nobis imposito , ac pro paterna Nostra , qua Regiam Majestatem tuam complectimur charitate , id velimus consideres , quam tibi tuæque animæ salutis male consulant ij , qui te ad hujusmodi injustam et Ecclesie injuriosam legem impellunt.

Quibus considerationibus Catholicus Rex ab legis approbatione desistere debeat enucleatur.

§. 2. Nam quod Majestati tuæ in hac re aliorum deteriora proponunt exempla , non putamus te quid hic , vel ille fecerit , sed quid facere debuisset respicere. Quovis enim exemplo non

dubitamus normam illam justitiæ et æquitatis fore tibi potiore , ad quam in timore Domini usque ad hanc diem magna Religionis ac pietatis tuæ laude actiones tuas exegisti. Vides , carissime in Christo fili Noster , ea lege cum Ecclesia pejus agi , quam cum nullius numeri hominibus , quorum neminem quantumvis vilissimum lex ulla prohibet amplioribus facultatibus augeri. Vides ea lege fidelibus objici impedimentum , quominus in posterum , cum mortalitatem expleverint , animarum suarum quieti provideant.

§. 3. Nec vero , carissime in Christo fili Noster , eam legem publicæ rei tantopere utilem fore existimes quantum , qui eam urgent , clamitant profuturam. Neque enim inde aut copiosior fuerit Mercatura , aut Agricoltura diligentior ; quæ duo sola sunt capita , unde profluant in commune bonum opes atque divitiæ. Facile etiam intelliget Regia Majestas tua , eandem legem non eum , quo tendit , consequi finem , et ea lata non plus ad ærarium tuum argenti properenturum. Nam in pactionibus cum gl. me. Rege Philippo Patre tuo confectis , quæ bona ad Ecclesie dominium in posterum transferri contingat , convenit inter illum Principem et hanc Apostolicam Sedem , ut æque ac si essent in manu laicorum , Regi esse debeant vectigalia. Nulla igitur inest huic legi æquitas , nullum inde laicis vectigalium aut tributorum levamentum , nec quidquam aliud ex ea efficitur , quam ut Ecclesie mibus fuisse benevolens videare , cui tamen usque adhuc fuisse te benevolentissimum , tua omnia erga eam studia , et officia declarant. Has aliasque plures rationes non dubitamus præ oculis habituros consiliarios tuos , quibus hanc rem examinandam commisisti religioni , pietati , et egregio æquissimorum virorum in justitiam studio , et amore freti , multo vero maxima tua carissime in Christi fili Noster sapientia et virtute , præclaraque voluntate , qua certum semper tibi fuit omnia æternæ salutis tuæ posthabere , confisi futurum speramus , ut ejus rei deliberationem dimittas , quæ Ecclesie injuriam faceret nec publicum augeter bonum , nec tibi quidquam afferret utilitatis. Tibique carissime in Christo fili Noster , Regiæque familie tue universæ , intimo Nostri cordis affectu , Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die XXVI. Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Demonstrat nullam utilitatem Regio Acario , subditisque ex nova hac lege futuram esse expectandam.

DL.

Dat. die 2.  
Juli 1665.  
Anno VIII.

Cum Anicensi Episcopo gratulatur, quod ediderit instructionem suam Pastoralem adversus Hæresim et Hæreticos in Universum.

Venerabili Fratri Joanni Georgio  
Episcopo Anicensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

**P**astorali tuæ Instructioni, quam ante hos tres annos adversus Christianæ Religionis hostes edidisti, aliam instructionem adjectam adversus Hæreticos in Universum, qui Ecclesiæ obfirmato animo parere detrectant, libentissimo animo accepimus; in qua non eximia tua modo eminent scientia sacrarum rerum, sed etiam in iis pertractandis acumen et singularis eloquentia. Ac Nobis quidem hujus scriptiois tuæ pleraque omnia perplacuerunt: illa vero Paulini loci ex Epistola ad Titum, ubi Bñus Apostolus ait hæreticum hominem suo ipsius condemnari iudicio, pulcherrima Nobis visa est explicatio. Concinneque et apposite Jansenii affers exemplum, quem doctrinæ suæ novitatem, hoc est errores suos confiteri, ac propterea seipsum condemnare manifestissime demonstrasti. Non tam igitur, quod cum librum Nobis dono miseris, pro hac tuæ erga Nos voluntatis significatione singulares tibi agimus gratias, quam insigne hoc tui zeli, tui ingenii tui monumentum ex animo gratulamur; Tibique a Deo precamur longam vitam et prosperrimam valetudinem, qua possis, tanta tui cum laude, et Ecclesiæ emolumento cum ejus hostibus præliari prælia Domini. Et Fraternitati tuæ cuius ingenium, doctrinam, Deique zelum et egregium in S. Ecclesiam studium, præclaramque voluntatem magnopere amamus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Secunda Julii MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno VIII.

*Ad exitum perducto Pontificatus Anno VIII, quoad materiam omnes Ecclesiasticas res pertinentes, progredimur ad ea negocia. quæ eodem Pontificatus anno Temporalem Pontificis potestatem respiciunt.*

DLI.

Dat. die 25.  
Septem. 1665.  
Ann. VIII.

His, qui Doctorali Laurea insigniuntur in Universitate Bononiensi, ea omnia privilegia Pontifex elargitur, quibus donantur Laureati in Archigymnasio Romano, moderando Constitutionem Benedicti XIV. latam IV. Kal. Septembr. MDCCXLIV.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

**§. 1.** Inter multiplices Pastoralis vigilantie Nostræ curas ad ea libenter intendimus, per quæ Collegia Virorum, qui semper in Utriusque Juris doctrina eximia floruerunt, novis Pontificæ Nostræ liberalitatis gratiarum, ac privilegiorum muneribus illustrentur, prout in Domino concipimus expedire.

**§. 2.** Nuper siquidem ex parte dilectorum filiorum Juris Utriusque Doctorum Collegiorum Civitatis Nostræ Bononiensis expositum fuit, quod in eximia eorum Universitate, tam Scholarium ex omnibus Orbis Christiani partibus illuc confluentium multitudine, quam illustrium Virorum copia præclara, ab antiquissimo tempore, omnes, qui jurisperitia, ac doctrinæ præstantia ornatu comperti fuerunt, et in Doctorum numerum adscripti, posteaquam ibidem Doctoralem Lauream de more ipsi obtinuerunt, ab omnibus pro Doctoribus habiti, et Doctoratus honore, privilegiis, prærogativis sine ulla controversia ubique locorum gavisus sunt. Cum autem felicitis recordationis Benedictus Papa XIV. prædecessor Noster per suas sub Plumbo IV. Kalendas Septembris MDCCXLIV. expeditas literas sanciverit, ut nullus in posterum, qui Doctoralem gradum in Archigymnasio Sapientiæ hujus Almæ Urbis assequutus non fuisset, quæcumque munera, et Romanæ Curie officia obtinere, atque exercere posset, et ii tantummodo, qui ex Bononiensi Civitate inter Palatii Apostolici Auditores, vel Conciistorialis Aulæ Advocatos adscripti, ac jampridem a dictis Collegiis in Doctorum numerum relati essent, credita sibi munera in Alma hac Urbe assequi valerent, et alias prout in eisdem Benedicti prædecessoris literis, quarum tenorem pro pleno, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; quapropter ne cæteris Lauream Doctoralem in iis

Exordium

Preces porrectæ pro moderatione Literarum Benedicti XIV.

dem Bononiensibus Collegiis assumen-  
tibus præjudicium ullum obveniat, et  
Romanæ Curix officia assequi et exer-  
cere, ut antea fieri solebat, ipsi ne-  
queant, paternæ Nostræ charitatis par-  
tes interponi dicti exponentes plurimum  
desiderant. Nobis propterea humiliter  
supplicari fecerunt, ut in præmissis op-  
portune providere, et ut infra indulgere  
de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex præ-  
via moderatio-  
ne Benedicti-  
onæ Constitutio-  
nis, indulget  
ut in Univer-  
sitate Bononi-  
ensi Laureati,  
omnia consequi  
possint munia ac  
si Lauream obti-  
nerint in Archi-  
gymnasio Romano.

§. 3. Nos igitur, qui Collegiorum  
prædictorum ob singularem eorum præ-  
stantiam, et antiquitatem, prosperum  
statum, uberioraque in dies incremen-  
ta sinceris exoptamus affectibus, eorum-  
dem exponentium votis hac in re quan-  
tum cum Domino possumus benigne  
annuere, eosque specialibus gratiis, et  
favoribus prosequi volentes, et eorum  
singulares personas a quibusvis excom-  
municationis, et interdicti, aliisque Ec-  
clesiasticis censuris, sententiis, et pœ-  
nis, quovis modo, et quacumque de cau-  
sa latis, si quas forte iucurrerunt, hu-  
jus tantum rei gratia absolventes, et  
absolutos fore censentes, hujusmodi sup-  
plicationibus inclinati, ac etiam motu  
proprio, et ex certa scientia, ac ma-  
tura deliberatione, Nostris, deque Apo-  
stolicæ potestatis plenitudine, eandem  
Benedicti prædecessoris literas, in hac  
parte dumtaxat, tenore præsentium re-  
vocamus, et annullamus, viribusque,  
ac effecta penitus, et omnino vacua-  
mus, ac proinde omnes, qui ad Do-  
ctoralem gradum in Utroque Jure in  
Universitate Bononiæ fuerint promoti,  
posteaquam tamen Doctoratus privile-  
gium apud Rectorem Archigymnasii hu-  
jus Almæ Urbis, qui illud in ipsius Ar-  
chigymnasii Archivio, absque ulla Do-  
ctorum impensa referre, ac describere  
mandet, exhibuerint, ad assequendas  
quascumque Dignitates, et Beneficia Ec-  
clesiastica, nec non ad Prælaturas, Ma-  
gistratus, Judicaturas, Lecturas tam pri-  
vatas, quam publicas; tum etiam ad  
munera Procuratoris, vel Advocati co-  
ram quocumque Judice, seu Tribunali,  
et demum ad quodcumque aliud mu-  
nus, vel Officium cujusvis generis, gra-  
dus, et conditionis in Urbe exercendum,  
et ad alios omnes, et quoscumque ef-  
fectus etiam inexcogitatos, et expressa  
mentionem dignos, prædictum Doctoratus  
Universitatis Bononiensis privilegium il-  
lis prorsus suffragari, ac valere debe-  
re, atque ipsos, Doctoratus Bononiensis  
hujusmodi prærogativa ornatos, perinde  
ac si Lauream Doctoralem in dicto Ar-  
chigymnasio Urbis suscepissent, habendos  
omnino esse volumus, ac ita per-

petuis futuris temporibus servari præci-  
pimus, et mandamus.

§. 4. Decernentes, ipsas præsentis  
litteras, et in eis contenta quæcumque,  
etiam ex eo, quod quilibet in præmis-  
sis jus, vel interesse habentes, seu ha-  
bere quomodolibet prætendentes illis  
non consenserint, nec ad ea vocati,  
citati, auditi, neque causæ propter quas  
præsentis emanarunt adductæ, aut ve-  
rificatæ, et justificatæ fuerint, aut qua-  
vis alia causa, colore, et prætextu, ullo  
unquam tempore de subreptionis, vel  
obreptionis, aut nullitatis vitio, seu in-  
tentionis Nostræ, aut interesse habentium  
consensus, aliove quolibet etiam  
substantiali defectu notari, impugnari,  
infringi, et retractari, sed semper fir-  
mas, validas, et efficaces existere, et fore,  
suosque plenarios, et integros effectus  
sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos  
spectat, et pro tempore quancumque  
spectabit, in omnibus, et per omnia ple-  
nissime suffragari, ac ab eis respective  
inviolabiliter observari; sicque in præ-  
missis per quoscumque Judices ordi-  
narios, et delegatos, etiam causarum Pa-  
latii Apostolici Auditores judicari, et  
definiri, debere, ac irritum, et inane  
si secus super his, a quocumque, qua-  
vis auctoritate, scienter, vel iguoranter  
contigerit attentari.

Clausula su-  
blata, et decre-  
tum irritans.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac  
Constitutionibus, et Ordinationibus  
Apostolicis, privilegiis quoque, indul-  
tis, litteris Apostolicis in contrarium præ-  
missorum quomodolibet concessis, con-  
firmatis, innovatis; quibus omnibus,  
et singulis illorum tenores præsentibus  
pro plene, et sufficienter expressis, ac  
de verbo ad verbum insertis habentes,  
illis alias in suo robore permansuris ad  
præmissorum effectum, hac vice dum-  
taxat, specialiter, et expresse derogamus,  
cæterisque contrariis quibuscumque. Da-  
tura Romæ apud Sanctam Mariam Ma-  
jorem sub Annulo Piscatoris die vige-  
sima tertia Septembris Millesimo Septin-  
gentesimo Sexagesimo Quinto, Pontifi-  
catus Nostri Anno Octavo.

Derogatio con-  
trariorum.





Dat. die 15.  
Novemb. 1765.  
Ann. VIII.

DLII.

Confirmatio Ordinationum, a Sacra Consulta præscriptarum in extrahendis Gonfalonerie, Prioribus Consiliariorum, cæterisque Officialibus Civitatis Reatinæ.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Supplicata in-  
ra Sacra Con-  
sulta ad tol-  
lendas confu-  
siones in Offi-  
cium extrac-  
tionis occur-  
rentes.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas, et homines Civitatis Nostræ Reatinæ, quod ipsi, ut averterent multa mala in electione Gonfalonerie, et Priorum Consiliariorum ejusdem Civitatis jam introducta, sub nomine eorum, qui studiosi sunt, ac zelum habent pro publico decore Nobilium dictæ Civitatis, ac majoris partis illius Consiliariorum recursum habuerunt ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales super Consultationibus Negotiorum Status Ecclesiastici deputatos, qui perpensis confusionibus, ac serio ponderatis omnibus circumstantiis, dilecto filio præfatæ Civitatis Governatori sua Epistula injunxerunt, ut in posterum in extrahendis hujusmodi Officialibus executioni committeret regulam, et normam ab ipsis præscriptam in folio eidem Epistolæ adjuncto. Tenor vero Epistolæ hujusmodi, et prædicti folii est, qui sequitur videlicet.

„ In vista di quel di più che si è da  
„ V. S. significato in proposito delli ri-  
„ corsi avanzati alla Sagra Consulta per  
„ parte delli Zelanti del publico deco-  
„ del Ceto Nobile di codesta Città, e  
„ della maggior parte de' Consiglieri  
„ ascritti al General Consiglio, quali in-  
„ sistono perchè venga posto un per-  
„ fetto sistema, e riparato alli sconcer-  
„ ti, che nascono nell' elezione del  
„ Magistrato in pregiudizio della No-  
„ biltà, del Ceto Civile, e del Publico,  
„ detta Sagra Consulta ha creduto di  
„ prendere le determinazioni contenute  
„ nell' accluso foglio; onde darà Ella  
„ gli ordini opportuni, perchè in avve-  
„ nire nelle estrazioni di detto Magi-  
„ strato venga eseguito tutto ciò, che  
„ si prescrive nel Foglio medesimo. E  
„ Dio la prosperi » Sequitur tenor fo-  
„ lii » Osservatasi dalla Sagra Consulta  
„ l' istanza fatta a nome delli Zelanti  
„ del Ceto Nobile, e della maggior par-  
„ te de' Consiglieri di Rieti per il dan-  
„ no, che vien recato alla Nobiltà me-  
„ desima, al Ceto Civile, ed al Publico  
„ dagli abusi introdotti nell' elezione  
Bull. Rom. Tom. III.

Refertur tenor  
resolutionum  
Sacra Consul-  
tæ.

„ di quel Magistrato, ed ascoltato pa-  
„ rimenti il sentimento di Monsignor  
„ Governatore, e le proposizioni dal  
„ medesimo fatte, le quali ha trovato  
„ molto prudenti, ed opportune a met-  
„ tere il necessario riparo a simili scon-  
„ certi, è venuta quindi in determina-  
„ zione, per porre in miglior sistema  
„ un tale affare, di ordinare per l' av-  
„ venire il seguente Regolamento; e in  
„ primo luogo rispetto al grado di Gon-  
„ faloniere, il quale costituisce il pri-  
„ mo distintivo di quella Nobiltà vuole,  
„ che non possa per questo proporsi per-  
„ sona, che non sia delle Famiglie so-  
„ lite a goderne l' onore, o che per tali  
„ si trovino al presente già approvate  
„ coll' essere state nominate, e corse in  
„ Consiglio, ed affinché non resti pre-  
„ clusa la strada ad altri di esservi ag-  
„ gregato, ordina la medesima Sagra  
„ Consulta, che chi desidererà esservi  
„ ammesso debba concorrere, ed es-  
„ sere dotato dei seguenti requisiti; che  
„ per lo spazio di cento anni sia vis-  
„ suta la di lui casa senza esercizio di  
„ arte meccanica, e con decorosa pro-  
„ prietà: che siasi almeno una volta im-  
„ parentato colle Famiglie Nobili, e che  
„ finalmente abbia un sufficiente patri-  
„ monio da sostentarsi nobilmente: i  
„ quali requisiti dovranno esaminarsi dal  
„ Consiglio particolare degli stessi No-  
„ bili coll' intervento del Governatore,  
„ e Magistrato pro tempore, ed appro-  
„ vati che siano, potrà il soggetto, che  
„ concorre esser proposto per l' ammis-  
„ sione nel Consiglio Generale, e non  
„ altrimenti. Intorno poi il secondo Prio-  
„ re detto Prior Nobile, non dovranno  
„ le parti nel nominare i soggetti per  
„ tale Ufficio deviare dall' antico stile,  
„ ma unicamente proporre persone, che  
„ vivano civilmente senza esercizio di  
„ mercanzia, o di altr' arte meccanica.  
„ Riguardo finalmente alla carica di  
„ terzo Priore potranno essere a questo  
„ nominati li Mercanti, ed altri di si-  
„ mile sfera, avvertendo però, che per  
„ qualunque dei suddetti tre Uffizj non  
„ possa alcuno essere eletto, che prima  
„ non sia ascritto tra Consiglieri. Do-  
„ vranno dunque da Monsignor Gover-  
„ natore comunicarsi al Magistrato,  
„ e Consiglio di Rieti gli ordini della  
„ Sagra Consulta, acciocchè possano  
„ nella prima elezione uniformarsi ai  
„ medesimi, e darvi la sua piena ese-  
„ cuzione. In quorum fidem etc. Datum  
„ ex Aedibus ejusdem Sacræ Consultæ  
„ hac die 2 Mensis Novembris 1765.

Loco Signi

C c

Preces porre-  
ctae pro prædi-  
ctorum resolu-  
tionum appro-  
bationem, quas  
Pontifex beu-  
gue excipit.

§. 2. Cum autem sicut eadem ex-  
posito subjungebat, ipsi exponentes,  
quo firmitus contenta in præinserta Epi-  
stola, et folio in publicæ quietis utili-  
tatem subsistant, et serventur exactius,  
Apostolicæ confirmationis Nostræ patro-  
cinio communiri plurimum desiderent:  
Nos ipsos exponentes specialibus gra-  
tiis, et favoribus prosequi volentes, et  
eorum singulares personas a quibusvis ex-  
communicationis, et interdicti, aliisque  
Ecclesiasticis censuris, sententiis, et  
poenis quovis modo, et quacumque de  
causa latis, si quas forte incurrerunt,  
hujus tantum rei gratia absolventes et  
absolutos fore censentes, supplicationi-  
bus eorum nomine Nobis humiliter por-  
rectis inclinati, omnia, et singula in præ-  
inserta Epistola, et folio contenta, et  
expressa, auctoritate Apostolica, tenore  
præsentium confirmamus, et approba-  
mus, illisque inviolabilis Apostolicæ fir-  
mitatis robor adiicimus, ac omnes, et  
singulos juris, et facti defectus, si qui  
desuper quomodolibet intervenerint, sup-  
plemus, salva tamen in præmissis au-  
toritate Congregationis eorundem Car-  
dinalium.

Clausula sus-  
blata; et decre-  
tum irritum.

§. 3. Decernentes, easdem præsen-  
tes literas semper firmas, validas, et  
efficaces existere, et fore, suosque ple-  
narios, et integros effectus sortiri, et  
obtinere, ac illis, ad quos spectat, et  
pro tempore quancumque spectabit in  
omnibus, et per omnia plenissime suf-  
fragari, ac ab illis respective inviolabi-  
liter observari; sicque in præmissis per  
quoscumque Judices ordinarios, et de-  
legatos, etiam causarum, Palatii Aposto-  
lici Auditores judicari, et definiri de-  
bere, ac irritum, et inane si secus su-  
per his a quocumque, quavis auctoritate,  
scienter, vel ignoranter contigerit atten-  
tari.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 4. Non obstantibus Constitutio-  
nibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec  
non dictæ Civitatis, aliisque quibusvis  
etiam juramento, confirmatione Apo-  
stolica, vel quavis firmitate alia robo-  
ratis statutis, et consuetudinibus; pri-  
vilegiis quoque, indultis, et literis Apo-  
stolicis in contrarium præmissorum quo-  
modolibet concessis, approbatis, et in-  
novatis. Quibus omnibus, et singulis il-  
lorum tenores præsentibus pro plene, et  
sufficenter expressis, ac de verbo ad  
verbum insertis habentes, illis alias in  
sua robore permansuris, ad præmissorum  
effectum, hac vice dumtaxat spe-  
cialiter, et expresse derogamus, cæte-  
risque contrariis quibuscumque. Datum  
Romæ apud Sanctam Mariam Majorem

sub Annulo Piscatoris die decimaquinta  
Novembris Millesimo Septingentesimo  
Sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri  
anno octavo.

DLIII.

Dat. die 30.  
April. 1766.  
Ann. VIII.

Quæ pro recognitionibus characterum  
approbandis in ordinibus directis Sa-  
cro Monti Pietatis Urbis sancita, fue-  
runt, ea ad Mensam Nummulariam  
S. Spiritus extenduntur.

*Schedula Motus Proprii quoad Montem  
Pietatis Urbis relata a Nobis fuit hoc  
Tom. III. sub num. CDLXXXIII.  
pag. 81, ubi perlegenda ad opportu-  
nitatem est.*

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. Publicæ quieti, ac securitati  
eorum, qui proprias pecunias in Monte Pie-  
tatis hujus Nostræ almæ Urbis deponunt,  
simulque indemnitati ejusdem Montis con-  
sultere cupientes schedulam motu proprio  
die XXX. Augusti Anni MDCCLXIV.  
signavimus (omittitur tenor Motus-Pro-  
prii, am relati in hac Continuatione T. III.  
sub num. CDLXXXIII. pag. 81.

Referitur quod  
pro Monte Pie-  
tatis gestum  
fuerat.

§. 2. Nuper vero Nobis exponi fe-  
cerunt dilecti filii Ministri Mensæ num-  
mulariæ seu Banchi Archiospedalis San-  
cti Spiritus in Saxia de Urbe, quod cum  
in Banchio quoque prædicto æque ac in  
præfato Monte Pietatis pecuniæ deponi,  
et respective consignari soleant, itaut in-  
ter utrumque eadem sit dispositionis ra-  
tio, nihilominus, ne ulla unquam oriri  
possit difficultas, præinserta omnia, quæ  
a Nobis quoad dictum Montem Pietatis  
præscripta, et constituta sunt, ad Ban-  
chum etiam Sancti Spiritus extendi, et  
ampliar dicti exponentes summopere de-  
siderant. Nobis propterea humiliter sup-  
plicari fecerunt, ut sibi in præmissis op-  
portune providere, et ut infra indulgere  
de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces porre-  
ctae pro exten-  
denda Schedu-  
la Motus Pro-  
prii Montis Pie-  
tatis ad Men-  
sam Nummu-  
lariam S. Spi-  
ritus.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes  
specialibus gratiis, et favoribus prose-  
qui volentes, eorumque singulares per-  
sonas a quibusvis excommunicationis, et  
interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris,  
sententiis, et poenis quovis modo,  
et quacumque de causa latis, si quas  
forte incurrerunt, hujus tantum rei gra-  
tia absolventes, et absolutos fore censentes

Pontifex præ-  
cibus ancuit,  
et jam alias  
pro Monte Pie-  
tatis jussu, ad  
Mensam Num-  
mulariam S.  
Spiritus exten-  
dit.

tes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertam Schedulam Motu Proprio a Nobis signatam, una cum omnibus, et singulis in ea contentis, et expressis, ac quoad Montem Pietatis Urbis decretis præscriptis, et constitutis ad Mensam quoque nummulariam, et Bancho Sancti Spiritus in Saxia ejusdem Urbis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium extendimus, et ampliamus, illamque, et illa in omnibus, et per omnia observari, et exequi debere perinde ac si pro dicta Mensa nummularia, seu Bancho facta fuissent, auctoritate, et tenore præsentis decernimus et mandamus.

§. 4. Decernentes, easdem præsentis literas, et in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Bancho, et Archiospitali prædictis, illorumque Ministris, et Officialibus, aliisque, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici, et Curie Camerae Apostolicæ Auditores, ac S. R. E. Cameraarium, et alios Cardinales etiam de Latere Legatos, dictæque Camerae Præsidentes Clericos, aliosque Officiales, et Ministros nunc, et pro tempore quæcumque existentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in præinserta Scheda Motu Proprio signata non obstare volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri anno octavo.



DLIV.

Dat. die 2.  
Junii 1766.  
Ann. VIII.

Constituuntur pænæ, quibus Ministri Montis Pietatis de Urbe, aliique in ejus damnium delinquentes puniri debent.

*Contra fraudatores pecuniarum Montis Pietatis Urbis, pœnas quamplurimas juxta casuum contingencias indicavit Benedictus XIII. Constitutione sua Anni 1729 Sept. 28 relata in Bullario Mainardii. Depositeriæ Generalis, et Thesaureriæ particularis translationem Monti Pietatis Urbis indicavit Benedictus XIV Cedula Motus-proprii Anni 1743 Augusti 2. Motum Proprium Pii V. et Constitutionem Urbani VIII. contra falsificantes Cédulas, et Schedas Montis Pietatis Urbis, et Mensæ Nummulariæ S. Spiritus in Saxia, confirmavit, et ampliavit Pontifex idem, Constitutione altera ejusdem Anni prid. Kal. Nov. quæ est in Bullario Benedictino. De modo recognoscendi characteres Ordinum, et Mandatorum Procuræ directorum Monti Pietati Urbis, et de pœnis contra prævaricatores talium recognitionum adest Motus-Proprius Clementis XIII. anni 1764 Augusti 30 hoc Tom. III. sub num. CDLXXXIII. pag. 81.*

Clemens Episcopus  
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **E**t si multa provide, sapienterque statuta fuerunt a prædecessoribus Nostri contra eos, qui dolo malo alienam pecuniam sive publicam, sive privatam avertunt, et in proprium commodum flagitiose usurpant, eo tamen processit nonnullorum Montis Pietatis in hac Alma Urbe Nostra inservientium audacia, et malitia, ut nullo humani, divinique juris respectu cohibiti, legum præscripta violare non timuerint, novasque subinde machinationes, et fraudes excogitaverint, quibus pecuniam Civium indigentia reservatam corroderent, ut ipsius Montis impendio, ac damno gravissimo, sibi large, voluptuoseque vendi copiam pararent. Præpostera hæc, et iniqua prorsus agendi ratio quum Republicæ bono plurimum noceat, et nisi opportune coerceatur, piam, laudabilemque operam Montis in commune Subditorum beneficium erectam, omnino

Causa hujus  
Constitutionis.

sit eversura. Supremæ Nostræ potestatis, ac paternæ sollicitudinis officium postulat, ut in ejusmodi fraudulentos homines, ac præsertim, in illos, qui præfati Montis munera sibi commissa infideliter gerunt, acrius insurgamus, et adhibitis severioribus pœnis, huic veluti morbum Societati pestiferum e medio tollamus, ne diutius serpens, atque suppullulans in summam perniciem evadat, atque eas denique pariat ruinas, quæ omne posthac remedium superent, et salubriora consilia, nuperrime pro re-cta ejusdem Montis Gubernatione capta, quæ Nostra auctoritate, et providentia firmata, et statuta sunt, prorsus inania, reddant, et eludant.

Constitutiones  
Benedicti XIII.  
et Benedicti XIV.  
confirmantur,  
et ampliantur

§. 2. Itaque Constitutionem fel: rec: Benedicti XIII. prædecessoris Nostri, quæ incipit = Iam dudum =, et quam hic pro inserta de verbo ad verbum haberi volumus, in omnibus, et per omnia approbamus, confirmamus, et innovamus, ac præterea ita extendi, atque ampliari jubemus, ut pleno jure afficiat universos, et singulos Officiales Montis Pietatis in hac Urbe existentes, etiam in figura Depositarii Cameræ Apostolicæ, quocumque appellentur nomine, atque Officio fungantur, et vel salario gaudeant, vel non, sintque simplices ut vulgo dicuntur Supranumerarii. Alteram quoque prædecessoris etiam Nostri Benedicti XIV. Constitutionem, cujus initium est = Ad curam = simili modo approbamus, confirmamus, et innovamus, ac præterea ita ampliari, atque extendi mandamus, ut pariter afficiat omnes, et singulos Officiales prædictos Montis Pietatis, etiam in figura Depositarii Cameræ Apostolicæ, tam laicos, quam clericos, quocumque nomine appellentur, atque munere fungantur, et vel salario gaudeant, vel non, sintque simplices, ut jam diximus, Supranumerarii.

Pœnis in præfatis Constitutionibus indicatis extendit, et ampliat.

§. 3 Poenas vero in præfata Constitutione sancitas locum habere volumus in casu alterationis syngrapharum, seu cedularum Montis Pietatis, vel Mensæ Nummarie Sancti Spiritus de Urbe pro qualibet, vel minima summa tam contra reos principales, quam contra fautores, et scienter expendentes, aut quocumque alio modo conscios, complices, et participes, etiamsi forent clerici, omnesque, et singulos reos confessos, seu convictos criminis, de quo in dicta Constitutione, et hic agitur, puniri jubemus tamquam Monetarios falsos, atque insuper privari beneficio Ecclesiasticæ Immunitatis localis, illorumque

extractionem, et consignationem fieri, servata forma Constitutionis editæ a fel: rec: Clemente XII. prædecessore pariter Nostro, quæ incipit = In Supremo Justitiæ Solio =: Quinimo procedi injungimus in hujusmodi delicto falsificationis, vel alterationis syngrapharum, seu cedularum, ut supra, per quoscumque Judices competentes, cum facultatibus ordinariis, et extraordinariis alias tributis tam Gubernatori Urbis, quam The-saurario Generali, eorumque respectivis Tribunalibus contra Falsificantes quoscumque, vel in substantialibus alterantes ordines, nec non mandata Procuræ, vel fides publicas Notariorum cuilibet ex capsis Montis Pietatis etiam in figura Depositarii Cameræ Apostolicæ directos, et directa, seu directas;

§. 4 Item testimonium dolosum perhibentes in recognitione characterum, aut signorum existentium in ordinibus, mandatisque Procuræ falsis, Notarios pariter recognoscentes, et per fraudem testantes tamquam verum, et veram characterem, falsum, seu falsam subscriptionem ordinum, vel mandatorum Procuræ scriptorum, aut alias dolose recipientes falsorum testimonium recognitiones, relative ad ordines, et mandata Procuræ falsos, et falsa, vel relative ad signa pariter falsa scribentes quoque in proprium commodum, vel scribere facientes ab aliis partitas exactionis fructuum locorum montium sine ordinibus, mandatisque Procuræ legitimis, et veris, vel cum ordinibus, seu mandatis Procuræ falsis, vel in substantialibus alteratis, omnes denique reos respective reperiendos, cujuslibet ex criminalibus præmissis, eorumque complices, fautores, atque participes plectendos esse statuimus, et declaramus pœna ordinaria, etiam pro prima vice, si falsitas, vel alteratio excedat scuta centum etiam in modico effectu sequuto, vel tentato tantum. In casu vero reiterationis delicti pro quacumque summa, et pro sola secunda vice. At si falsitas, vel alteratio summam scutorum centum exacte attigerit, vel minor etiam comperta fuerit, effectu pariter sequuto, vel tentato tantum, ejusmodi rei puniantur etiam pro prima vice pœna trirremium perpetuarum.

Sanctiones  
contra dolo-  
sum testimo-  
nium perhi-  
bentes in reco-  
gnitione cha-  
racterum Or-  
dinum, et Man-  
datorum Pro-  
curæ.

§. 5 Ministros autem Montis Pietatis superius expressos, atque indicatos, si fide abutantur ipsis concedita, et alicujus ex præmissis criminibus rei fuerint reperti, non solum puniri volumus, eisdem pœnis hic constitutis, verum etiam privari beneficio Immu-

Quomodo pro-  
cedendum sit  
contra Mini-  
stros Montis  
Pietatis, con-  
cedita illis fi-  
de abutentes.

nitatis Ecclesiasticæ localis, dummodo pœna ordinaria sint plectendi, ejusmodique immunitatis localis beneficio privari similiter volumus Notarios, si publicæ fidei, atque auctoritati, quarum custodiæ deputantur, turpiter illudentes ultimo supplicio ob aliquod ex criminibus supra relatis sint damnandi: Ita tamen, ut ministrorum Montis, ac respective Notariorum prædictorum extractis, et consignatio in præmissis casibus, servata memoratæ dicti Clementis prædecessoris Constitutionis forma fieri debeat, quoslibet insuper falsificantes vel in substantialibus alterantes mandata Judicum cujuscumque generis, etiam directa pro appositione vel remotione sequestrorum, eorumque complices, et fautores pœna ordinaria mulctari præcipimus pro quacumque summa, etiam pro prima vice, et effectu sequuto, vel tentato tantum, dummodo tamen concurrat subscriptio vel vera, vel respective falsa Judicis ordinarii, Ministrosque Montis jam plenius expressos in casu ejusmodi delicti esse præterea privandos beneficio immunitatis Ecclesiasticæ localis, ac proinde extrahendos, et consignandos ut supra declaramus, extorquentes vero malis artibus mandata Judicum pœna extraordinaria puniantur, arbitrio Judicis extendenda, etiam ad pœnam ultimi supplicii juxta facti circumstantias, et personarum qualitates.

Indicuntur  
pœnae contra  
falsificantes,  
alterantes, aut  
dolose vitian-  
tes libros, et  
scripturas  
Montis Pietatis

§. 6 Omnes pariter falsificantes, alterantes, aut quomodolibet dolose vitiantes, ac corrumpentes libros, vel scripturas Montis Pietatis, etiam in figura depositarii Camerae Apostolicæ, vel apodixas pignorum, vel earumdem apodixarum duplicata, eorumque complices, et fautores pœnæ subjicimus ordinariæ pro quacumque summa, vel damnum sequutum fuerit, vel non, atque etiam pro prima vice, ejusdem autem Montis Pietatis ministros, alias nberius indicatos, præter penam jam dictam etiam beneficio Ecclesiasticæ Immunitatis localis privamus, dummodo falsitas, vel alteratio excedat, vel in modico summam scutorum quinquaginta, eosque servata forma, ut supra, extrahi, et consignari mandamus. Pignorum custodes, et subcustodes, aliisque in custodiis pignorum inservientes pœna ordinaria plectantur, si aut per se, aut per alios pignora apud Montem existentia vel dent, vel consignent, vel restituant quomodocumque, ex quovis prætextu, vel quæsito colore, absque prævia solutione pecuniæ mutuatæ pe-

nes arcarium mutuorum, et absque restitutione sibi ipsis facta schedulæ oppignorationis a prædicto arcario notatæ signo consueto, quod dici solet = *Il pagamento* = etiam si agatur de uno pignore tantum, et valoris modici, et quamvis pignus fuerit traditum Domino, seu oppignoranti, idque ipsum non turpis lucri, sed solius amicitiae, vel alterius respectus gratia, et sine ullo pii Montis damno, ac præjudicio, vel periculo fuerit factum, eademque prorsus ordinaria pœna eo magis afficiantur si constiterit quantitatem a Monte mutuam eos recepisse a Domino, vel ab oppignorante pro facta pignoris restitutione integre statim detulerint, ac consignaverint arcario mutuorum tunc nihilominus procedatur contra prædictos extraordinarie juxta casuum circumstantias ad pœnam usque Triremium.

§. 7 Plecti etiam volumus pœna ordinaria ministros quoscumque Montis Pietatis latius expressos, ut supra, si pignus, vel pignora propria, vel aliena recuperaverint sine prævia restitutione summæ per Montem mutuatæ penes arcarium mutuorum, etiam pro prima vice, et pro quocumque pignore modici valoris, quamvis damnum pio Monti illatum fuerit perexiguum: quod si nullum prorsus damnum eidem Monti irrogatum fuerit, præfatos ministros puniri jubemus extraordinarie arbitrio Judicis juxta facti circumstantias extraordinarie quoque pro Judicis arbitrio pensatis casuum circumstantiis puniri mandamus quoslibet a Monte Pietatis extraneos, qui pignora vel propria, vel aliena receperint sine prævia pecuniæ mutuatæ restitutione Arcarius, et sub-Arcarius mutuorum signantes per dolum, fraudemque consueto signo *del pagato* schedulas pignorum, eorumque duplicata absque prævia numeratione, et incapsulatione pecuniæ pio Monti debitæ pœna ordinaria mulctentur etiam pro prima vice, et pro qualibet summa. Dolus vero præsumatur ex ipso defectu incapsulationis pecuniæ nisi contrarium probetur.

§. 8 Aestimatores, ac Subæstimatores pignorum tam ordinarii, quam extraordinarii, vel eorum vices, et locum supplentes, et quilibet alius Peritus, qui requisitus a pio Monte suam operam, peritiamque interponat in æstimatione pignorum, vel per se solum, vel una simul cum omnibus, aut cum aliquibus tantum ex dicti Montis æstimatoribus, si super pignore, vel pigno-

Itemque alim  
contra Mini-  
stros recupera-  
ntes propria,  
vel aliena pi-  
gnora absque  
mutuatæ pecu-  
niæ restituti-  
one.

De criminibus  
æstimatorum,  
subæstimato-  
rum, et Perito-  
rum, atque  
de pœnis qui-  
bus plectenda  
ea crimina  
sunt.



ribus certum, notumque valorem habentibus pessundata Montis laudabili consuetudine ita per fraudem, dolumque pecuniam mutuari fecerint, ut summa mutuata intrinsecum valorem excedat materiæ, et substantiæ ipsius pignoris, operis merito non comprehenso, ita ut Mons ipse scutorum quingentorum damnum accipiat quocumque ex capite, et causa tam directe, quam indirecte, ultimo supplicio tradantur, extraordinaria vero pœna afficiantur, si damnum fuerit minoris summæ, similique ratione ultimo supplicio obnoxios eosdem declaramus, si super pignore, vel pignoribus certum valorem non habentibus, spreta ipsius Montis consuetudine, et statutorum lege non mutuandi nisi pro duabus ex tribus partibus veri valoris, dolose mutuari fecerint eam pecuniæ quantitatem, quæ non solum duas ex tribus partibus, verum etiam integrum pretium manifeste excesserit cum damno pii Montis, scutorum bismille, dolum vero, fraudemque præsumendum esse statuimus in utroque casu, ex ipso mutationis, vel mutationum manifesto excessu, nisi contrarium probetur; extraordinarie autem procedi mandamus quotiescunque damnum hoc modo illatum minoris summæ fuerit repertum; quod si ex multis æstimationibus pignorum certum valorem non habentium, quæ duas ex tribus partibus justi illorum valoris notabiliter excedant, etiamsi huiusmodi excessus integrum cuiuscumque pignoris pretium non attigerit, adeo notabile pio Monti damnum obveniat, ut prudenter existimari possit in præfatis æstimationibus dolum, vel valde culpabilem negligentiam intervenisse, tunc pariter procedi volumus ad pœnam extraordinariam etiam triremium perpetuarum juxta casuum circumstantias, nempe multiplici- tatis, vel quantitatis, vel qualitatum excessuum harum æstimationum, vel ejusmodi alias prudenti judicium arbitrio pensandas.

§. 9 Denique Ministros quoslibet Montis Pietatis alibi plenius enunciatos, eorumque fautores, et complices si per fraudem, et dolum, atque scienter oppignoraverint aurum, argentum, et jocalia falsa pro veris, adsit, vel non in pignoribus istiusmodi impressum signum apponi solitum vulgo *il Bollo* nuncupatum, et si existente signo prædicto, illud sit sive falsum, sive verum, aut alias quomodocumque fraudem fecerint in oppignoracionibus, veluti si quid pro solido, integroque au-

ro, argentove oppignoraverint, quod tamen non habeat auri, argenteve nisi superficiem interiore nempe substantia ex variis, vilibusque materiis compacta, atque adulterata, pœna capitis damnandos esse præcipimus, quotiescunque damnum pii Montis excesserit etiam in modico summam scutorum centum, pro prima quoque vice, eademque pœna mortis esse plectendos in casu dolosæ pignorationis reiteratæ cum damno cuiuscumque summæ etiam pro sola secunda vice: quod si damnum exacte attigerit scuta centum, vel fuerit minoris summæ, tunc eosdem puniri volumus etiam pro prima vice pœna triremium perpetuarum, privatos vero, exterosque a Monte, qui damnabilibus huiusmodi oppignoracionibus, et fraudibus publicam pecuniam corraserint, puniri mandamus pœna triremium perpetuarum, dummodo damnum excesserit etiam in modico summam scutorum centum pro prima vice, eademque pœna mulctari in casu reiteracionis dolosæ pignorationis pro quacumque summa etiam pro sola secunda vice; quod si damnum exacte attigerit scuta centum, vel fuerit minoris summæ, tunc eosdem puniri jubemus etiam pro prima vice pœna triremium ad decennium. Fabricatores autem rerum, ut supra falsarum, vel alteratarum, res ipsas oppignorantes aut per se, aut per alios pœna afficiantur triremium perpetuarum extendenda quoque ad ordinariam juxta facti circumstantias arbitrio judicis, dolus vero, fraus, et scientia in omnibus prædictis casibus præsumantur ex ipsa qualitate rei falsa, vel alterata, nisi contrarium probetur.

§. 10 Præsentes autem literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad id vocati, vel auditi non fuerint, seu causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, expressæ, et verificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut infringi nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ita, et non aliter in quibusvis tribunalibus, ac per quoscumque iudices in hac materia competentes, etiam specifica, et individua mentione dignos contra delinquentes in præmissis etiam Ecclesiasticos exemptos, et quantumvis privilegiatos in ju-

Clausula subtilata, et decretum irritans.

De iis qui fraudolenter, et dolose aurum, argentum, et jocalia falsa, pro veris oppignoraverint, et de eorum punitio

dicio confessos, sive legitime convictos procedi, decerni, judicari, et sententiarum decernimus, et mandamus, sublata cuilibet aliter iudicandi, et interpretandi facultate, atque auctoritate, et irritum, et inane decernentes, si secus super his a quoquam, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§. 11 Non obstantibus quibusvis etiam Apostolicis, si quæ essent, Constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis quibusvis personis, etiam de necessitate exprimendis alias concessis, et quavis firmitate roboratis statutis, resolutionibus, usibus, stilis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, et singulis eorum omnium tenores pro expressis, ac de verbo ad verbum præsentibus insertis, nec non præscriptas in ipsis derogationum formas pro plene observatis habentes, ad præmissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestatis Nostræ plenitudine specialiter, et expresse dero-

gamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12 Volumus autem quod præsentibus in valvis Ecclesiæ Lateranensis Basilicæ, Principis Apostolorum, et in aliis consuetis Urbis locis publicentur, et affigantur, et postquam affixæ, et publicatæ fuerint, omnes, et singulos perinde arceant, et efficiant, ac si univernique nominatim, et personaliter intimatæ fuissent.

Sancti per so-  
lam hujus Con-  
stitutionis  
evulgationem,  
ad illius obser-  
vantiam tenean-  
tur.

§. 13 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, innovationis, statuti, declarationis, mandati, privationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVI., iv. Nonas Junii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Sanctio poena-  
lis.



## A N N O N O N O



DLV.

Dat. diei 5 Augusti 1766.  
Anno IX.

Capitulo, et Canonicis Metropolitanæ Urbini indulget, quod uti possint Palmatoria, seu Bugia, nec non Mitra in missis solemnibus Defunctorum

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Refertur vetus privilegium huius Capituli utendi Palmatoria, et Mitra.

§. 1. **A**lias felicitis recordationis Benedictus XIII. Prædecessor Noster Capitulo, et Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis, ut ipsi, tam in Civitate, quam in Diocesi Urbinatensi absente, vel præsentem Archiepiscopo, sive interveniente Legationis Urbinatensis S. R. E. Legato de Latere in missis, vesperis, et laudibus solemniter decantandis, ac etiam in processionibus, Benedictionibus candelarum, cinerum, Palmarum, et Fontis Baptismalis, ac in reliquis Ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, Mitra, aliisque indumentis, et paramentis tantum ad instar Abbatum usum Mitræ habentium uti libere, et licite possent, ac valerent, licentiam, et facultatem Apostolica auctoritate concessit, et indulsit, ac alias prout in suis sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo vigesimo quarto tertio Idus Augusti desuper expeditis Literis uberius dicitur contineri.

Exortis dissidiis inter Metropolitanum et Capitulum, S. Rituum Congregatio decernendum censuit, tali privilegio uti Canonicos mitræ pæse.

§. 2. Exortis postmodum nonnullis controversiis inter bonæ memoriæ Antonium tum Archiepiscopum Urbinatensem et Capitulum, ac Canonicos prædictos super usu Mitræ, allorumque indumentorum, et paramentorum huiusmodi, iisque delatis Congregationi Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, inter cætera coram ea præposita fuerunt duo sequentia dubia, nempe = *An uti valeant Palmatoria, seu Bugia in Pontificalibus, et in Missis lectis, et privatis, et an in Metropolitana Ecclesia uti possint Mitra, et pontificaliter celebra-*

*re in Missis Defunctorum*, = quibus in Congregatione habita die XXIV. Januarii MDCCLII. responsum fuit *negative*, et *amplius*, ac huiusmodi dubiorum resolutionem fel. rec. Benedictus Papa XIV. itidem prædecessor Noster per suas sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo primo, tertio Kalendas Martii expeditas literas, dicta auctoritate perpetuo approbavit, et confirmavit illasque a tunc, et pro tempore existentibus Canonicis, et Capitulo dictæ Ecclesiæ, ac Dignitates in ea obtinentibus firmiter, et inviolabiliter observari mandavit, ac alias, prout in eisdem Literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur.

§. 3. Cum autem nuperrime præfata Ecclesiæ Urbinatensi per obitum bo. me. Antonii Pastoris solatio destitutæ Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum in Archiepiscopum præfecerimus, et Pastorem, is Capituli, Dignitatum, et Canonicorum ejusdem Ecclesiæ majori decori consulere cupiens suum assensum præstitit, ad hoc ut Dignitates, Canonici, et Capitulum huiusmodi Nobis, et huic Sanctæ Sedi preces porrigere possent pro obtinendo novo Apostolico Indulto utendi tam in Pontificalibus, quam in missis lectis et privatis Palmatoria, seu Bugia nuncupata, ac simul Mitra in missis solemnibus Defunctorum; quapropter Dignitates, et Canonici, et Capitulum prædicti nobis nuper humiliter supplicari fecerunt, ut usum Palmatoriæ, seu Bugiæ huiusmodi, ac Mitræ, ut præfertur, sibi ipsis de novo concedere, ac in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

At novo Metropolitanæ electo, iterum preces porrecte, pro amissionum privilegiorum concessione

§. 4. Nos igitur Dignitates, Canonicos, et Capitulum huiusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia ab-

Pontifex Urbinatensis Capituli postulacionibus benigne indulget.

solventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Dignitatibus, canonicis nunc, et pro tempore quodcumque existentibus, et capitulo prædicto, ut in posterum tam in missis lectis, et privatis, quam in Pontificalibus palmaria, seu Bugia, atque etiam canone missæ, nec non mitra in missis solemnibus defunctorum, uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore præsentium de novo concedimus, et indulgemus.

Clausula subblata; et decretum irritans.

§. 5 Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6 Non obstantibus memoratæ congregationis resolutionibus prædictis, ac ejusdem Benedicti prædecessoris literis, tam illas, ut præfertur, approbantibus, et confirmantibus, quam super divisione materiarum anno incarnationis dominicæ MDCCXLV. sexto Kalendas Decembris sub plumbo expeditis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non diætæ Ecclesiæ, et capituli etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac præmissis-

*Bull. Rom. Tom. III.*

rum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xiii. Augusti MDCCCLXVI., Pontificatus Nostri anno nono.

DLVI.

Dat. die 25  
Augusti 1766  
Anno IX.

Prævia confirmatione Constitutionis Clementis XII. IV. Kal. Februar. Anni MDCCXXV. quoad privationem privilegii fori Ecclesiastici Clericorum homicidii criminis reorum, constitutionem ipsam extendit ad Diœcesim, et Principatum Paderbonæ.

*Vide adnotationem appositam constitutioni CCCLXXII. relatæ Tom. II. hujus continuationis pag. 401.*

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **A**lias fel. rec. Clemens Papa XII. Prædecessor Noster per suas sub Plumbo expeditas literas, nempe IV. Kalendas Februarii Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIV., Pontificatus sui Anno quinto ad compescenda, et coercenda, atque ab hac alma Urbe, totaque temporali S. R. E. ditone penitus avertenda, atque eliminanda homicidia, quæ a viris sanguinum Divini, humanique juris oblitis incredibili cum immanitate in dies magis magisque increbescente sæpissime patrari, non sine gravissimo paterni animi sui dolore, ac mærore audiverät, Constitutionem, quæ incipit = In supremo Justitiæ solio = promulgavit, in qua postquam omnes, et singulas Constitutiones a rec. me. Pio II., Paulo II., Sixto IV., Julio II., Leone X., Julio III., Paulo IV., Pio V., Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Clemente VIII., Innocentio XI., Innocentio XII., ac Benedicto XIII., et quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus pariter nostris tunc suis adversus homicidas saluberrime editas approbavit, confirmavit, et innovavit, illasque adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, vel allegari potuisset, in pristinum restituit, et plenarie reintegravit, quas deinceps omnino, et inviolabiliter observari præcepit, et mandavit; inter cætera in ea-

Refertur Pontificæ Constitutiones quoad Clericos, et Laicos homicidii reos, fori privilegio, atque Ecclesiastica immunitate minime gaudentes in Pontificia ditone.

D d

Tenor Consti-  
tutionis Cle-  
menti XII.

dem constitutione contenta, hæc præscripta erant = Tenoris, qui sequitur =

» Et quoniam experimento com-  
» pertum est, administrationem, et  
» cursum rectæ, et expeditæ justitiæ,  
» qua Reipublicæ salus præcipue iuni-  
» titur summopere obturbari vel ab ex-  
» cessivo numero privilegiatorum vul-  
» gariter = Patentati = nuncupatorum,  
» vel a minus recta intelligentia privi-  
» legiorum concessorum, proinde sal-  
» vis, firmisque remanentibus decretis,  
» et resolutionibus, quæ temporibus fel-  
» itidem rec. Urbani Papæ VIII. et dic-  
» torum Innocentii XI. et Innocentii XII.  
» prædecessorum, aut alias quodcum-  
» que ea super re emanarunt, volumus,  
» quod privilegium fori nemini  
» quocumque privilegiatorum hujusmo-  
» di tam in Urbe, quam in reliquo  
» statu Ecclesiastico prædictis (officia-  
» libus, aliisque privilegiatis a Congre-  
» gatione pro tempore existentium ejus-  
» dem S. R. E. Cardinalium contra  
» hæreticam pravitatem generalium In-  
» quisitorum, ac Ministris necessariis  
» actu inservientibus Archiepiscopis,  
» Episcopis, ac Ordinariis prædictis,  
» eorumque curiis dumtaxat exceptis)  
» pro crimine homicidiis suffrageantur,  
» sed dicti privilegiati, quatenus cleri-  
» cali caractere insigniti, Ecclesiasti-  
» cæ et quatenus laici fuerint, sæcu-  
» lari jurisdictioni subjaceant. Reser-  
» vantes Nobis facultatem declarandi,  
» quinam, quòtque esse debeant veri  
» familiares dictorum Archiepiscoporum,  
» et Episcoporum, ac Ordinariorum,  
» ac officiales necessarii curiis Eccle-  
» siasticis verum, et actuale servitium  
» præstantes. Insuper quia ex illis etiam  
» qui in sortem Domini vocati sunt,  
» quique alii irreprehensibilis, et ab omni  
» culpa, et macula, immunis vitæ,  
» ac virtutum exemplo præluere de-  
» berent, aliqui interdum reperiuntur  
» adeo suæ vocationis immemores, ut  
» impellente humani generis hoste, plu-  
» ribus etiam homicidiis manus suas  
» cruentare non perhorrescant. Nos per-  
» yersorum quorumcumque malitiæ ob-  
» viandum esse, non indulgendum pro-  
» be intelligentes, ad istorum quoque  
» frenandam pervicaciam, perpetuo iti-  
» dem statuimus, quod clericus pri-  
» mæ tonsuræ nullum beneficium ec-  
» clesiasticum obtinens, tametsi condi-  
» tiones clericis hujusmodi a Concilio  
» Tridentino præscriptas servaverit, ac  
» servet, pro duobus tamen homicidiis  
» animo deliberato, et præmeditato per  
» eum patris, privilegio fori, et ca-

» nonis in odium tanti excessus, et ad  
» aliorum terrorem exuatur, et uti in-  
» corrigibilis omnino sæculari potesta-  
» ti subjiciatur, ab ea tamquam laicus  
» legitimis pœnis plectendus. Clericus quo-  
» que in minoribus ordinibus constitutus,  
» nec pariter beneficiatus, nec præscripta  
» a Concilio Tridentino prædicto ser-  
» vans, tam celebs, quam coniugatus  
» in causis homicidiis dicto privilegio  
» fori non gaudeat, eoque privatus re-  
» maneat, neque a proprio Episcopo,  
» seu ordinario repeti, minusque ha-  
» bitum clericalem, quem indigne ab-  
» jecit, reassumere possit, post tota-  
» liter expiatam admissi delicti pœnam.  
» Declaratio autem, an Reus ante pa-  
» trum delictum homicidij requisita a  
» Concilio Tridentino servaverit ad Epi-  
» scoporum, aliumque loci ordinarium  
» omnino spectet, non retardata inte-  
» rim delinquentis assecuratione facien-  
» da etiam per judicem sæcularem  
» nomine ecclesiæ, qui illum prædi-  
» ctæ ecclesiæ nomine ad illius dispo-  
» sitionem retinere possit, et debeat,  
» donec dicta declaratio prodierit, qua-  
» cumque diversa, ac etiam contraria  
» Juris Canonici, et Apostolicarum con-  
» stitutionum dispositione, seu inter-  
» pretatione, nec non consuetudine haud  
» refragante. Porro cum idem Benedi-  
» ctus prædecessor animadvertens homi-  
» cidia hujusmodi suo etiam tem-  
» pore increbescere, nec minus, quam  
» alia facinora in celebri Constitutione  
» dicti Gregorii XIV. etiam prædeces-  
» soris, quæ incipit = *Cum alias* = re-  
» censita publicæ quieti officere, pro  
» commissi sibi Apostolici officij debi-  
» to per prædictam suam anno Incar-  
» nationis Dominicæ MDCCXXV. sexto  
» idus Junii, cujus initium est = *ex quo*  
» *divina* = evulgatam constitutionem  
» laicos animo præmeditato, ac deli-  
» berato proximum suum interficientes  
» ab ecclesiasticæ immunitatis benefi-  
» cio excluserit, et repulerit, atque pro  
» exclusis, et repulsis haberi voluerit.  
» Nos ob gliscentem in dies quorum-  
» dam ecclesiasticorum nequitiam, qui  
» nulla proprii status habita ratione non  
» raro in adeo nefarium, detestandum-  
» que crimen prolabantur ipsorum Gre-  
» gorii, et Benedicti prædecessorum  
» Constitutionibus, quas supra confir-  
» mavimus, atque innovavimus inhæ-  
» rentes et quatenus opus sit, crimi-  
» nis in illis exceptorum reos immu-  
» nitate ecclesiastica nequaquam ju-  
» vari iterum decernentes eandem Be-  
» nedicti prædecessoris Constitutionem



„ laicos animo præmeditato, ac deli-  
 „ berato proximum suum, sicut præ-  
 „ mittitur, interficientes a beneficio Ec-  
 „ clesiasticæ immunitatis excludentem,  
 „ ad ipsos Ecclesiasticos cujuscumque  
 „ gradus, et ordinis existant, in Urbe,  
 „ et in universa Ditione Nobis, et Se-  
 „ di Apostolicæ mediate, vel immédia-  
 „ te subjecta homicidium animo simili-  
 „ ter præmeditato, seu deliberato,  
 „ patrans extendimus quoque, et am-  
 „ pliamus, dummodo tamen causa ad-  
 „ missi per eos homicidii ab illorum  
 „ iudice ecclesiastico competente cogno-  
 „ scatur, et ab eo, si rei reperti fue-  
 „ rint, citra pœnam sanguinis ad præ-  
 „ scriptam sacrorum Canonum condi-  
 „ gna puniantur animadversione. Ulte-  
 „ rius ad varias doctorum, qui ejusdem  
 „ Benedicti prædecessoris mentem quoad  
 „ personas in dicta ejus Constitutione  
 „ comprehensas interpretari, et expli-  
 „ care voluerant sententias, et opinio-  
 „ nes dirimendas, declaramus, ho-  
 „ micidij reos natu minores viginti quin-  
 „ que, majores vero viginti annis tam  
 „ laicos, quam clericos, atque omnes  
 „ et singulos sive laicos, sive clericos,  
 „ qui mandatum, consilium, instiga-  
 „ tionem, auxilium cooperativum, aut  
 „ aliam operam occisori præbuerint,  
 „ ex quorum singulis pravis actibus ho-  
 „ micidium evenerit, in dictam Bene-  
 „ dicti prædecessoris Constitutionem  
 „ comprehensos esse, ac deinde cen-  
 „ seri debere, ac eam, quatenus opus  
 „ sit ad ipsos pariter extendimus; ita  
 „ scilicet, ut illorum extractio e loco  
 „ immuni, atque traditio curiæ sæcu-  
 „ lari, quoad laicos ad ejusdem curiæ  
 „ sæcularis requisitionem fiat a curia  
 „ Ecclesiastica; et clerici ab ipsa curia  
 „ Ecclesiastica ex officio omnino extra-  
 „ hantur juxta normam infra dicendam.  
 „ Item declaramus omnes et singulos  
 „ prædictos tam laicos, quam Ecclesia-  
 „ sticos, qui in Urbe, et in ditione  
 „ prædictis ex causa, et occasione ho-  
 „ micidii etiam in rixa commissi cum  
 „ armis, seu instrumentis suapte na-  
 „ tura aptis ad occidendum inquisiti,  
 „ et processati, vel in contumaciam  
 „ hanniti, et condemnati fuerint, dum-  
 „ modo homicidium non fuerit casua-  
 „ le, vel ad propriam defensionem;  
 „ immunitatis ecclesiasticæ prædictæ  
 „ beneficio minime gaudere. Utque reo-  
 „ rum ratione homicidij, ut præfertur  
 „ excepti inquisitorum, seu hannitorum,  
 „ et in contumaciam condemnatorum  
 „ extractio ab Ecclesiis, aliisque locis  
 „ immunibus, atque traditio suo cui-  
 „ *Bull. Rcm. Tom. III.*

„ que iudici competenti legitimis mo-  
 „ do, et forma a curia ecclesiastica  
 „ fiat, volumus, et ordinamus, ut quo-  
 „ tiescumque iudici ecclesiastico com-  
 „ petenti innotuerit, aliquem laicum, seu  
 „ ecclesiasticum ex causa homicidij ex-  
 „ cepti inquisitum, atque processatum  
 „ ad Ecclesiam, seu locum immunem  
 „ confugisse, ibique moram trahere, ac  
 „ ea super delicti qualitate ac personæ  
 „ reitate subministrata, vel acquisita  
 „ suppetant indicia, quæ ad capturam  
 „ decernendam sufficere videantur, tunc  
 „ idem iudex ecclesiasticus ex officio,  
 „ et nemine etiam requirente, si de-  
 „ linquens sit clericus, sin vero laicus  
 „ postquam a curia sæculari requisitus  
 „ fuerit, ad ipsius delinquentis extra-  
 „ ctionem ab Ecclesia, seu loco immu-  
 „ ni, implorato etiam ad hoc, quate-  
 „ nus opus sit, auxilio brachii sæcula-  
 „ ris, et cum interventu personæ ec-  
 „ clesiasticæ ab Episcopo deputandæ  
 „ devenire teneatur, extractumque ad  
 „ suos, si tuti, et securi fuerint, sin  
 „ minus ad curiæ sæcularis carceres  
 „ asportari, ibique sub tuta custodia  
 „ detineri curet, et faciat, ubi vero ex  
 „ processu informativo desuper confi-  
 „ ciendo, quod inquisitum nondum  
 „ condemnatum dictus iudex ecclesia-  
 „ sticus ex acquisitis, seu subministra-  
 „ tis indiciis ad torturam tantum suf-  
 „ ficientibus ab extracto homicidium a  
 „ prædicta Benedicti prædecessoris, et  
 „ hac nostra constitutione exceptum pa-  
 „ tratum fuisse cognoverit, ad declara-  
 „ tionem, quod scilicet de casu ita ex-  
 „ cepto constet, progrediatur, extra-  
 „ ctumque, si laicus sit, ministri, et  
 „ officialibus curiæ sæcularis, si autem  
 „ clericus ejus competenti iudici ec-  
 „ clesiastico tradere, et consignare pos-  
 „ sit, et debeat, exactis tamen, re-  
 „ ceptisque in actu traditionis, et con-  
 „ signationis hujusmodi a iudice qui-  
 „ dem sæculari juramento, et ab Ec-  
 „ clesiastico promissione in verbo veri-  
 „ tatis de restituendo extractum Eccle-  
 „ siæ, locove immuni sub pœna excom-  
 „ municationis latæ sententiæ Nobis,  
 „ et eidem Romano Pontifici pro tem-  
 „ pore existenti reservatæ, quatenus ex-  
 „ tractus in ejus defensionibus, quæ ad  
 „ tramites juris, et ordinationum apo-  
 „ stolicarum ei competant, præfata eli-  
 „ dat, et diluat indicia, et si illa mi-  
 „ nime eliserit, sive diluerit, et delin-  
 „ quens repertus fuerit iudici suo scilicet  
 „ ecclesiastico in clericum, sæcu-  
 „ lari in laicum, ut juris esse censue-  
 „ rit animadvertere liceat. Quoties au-  
 „ *D d 2*

tem de jam bannito, aut in contumacia damnato ex causa homicidii superius excepti sive laico, sive Ecclesiastico agatur, quilibet iudex Ecclesiasticus, ut præfertur competens ad illius Laici nimirum instante curia seculari, et Clerici ex officio extractionem ab Ecclesia, locove immuni, cum interventu quoque personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, ac traditionem suo respectivo iudici, sicuti mox dispositum est, faciendâ procedat, solamque sententiæ contumacialis, et actorum quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus iudex Ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat, agnito, num istiusmodi sententia contumacialis legitime, justeque prolata sit ad formam Constitutionum Apostolicarum pronunciare, et declarare queat, et debeat, an bannitus, et in contumaciam damnatus consignandus veniat nec ne? exactis pariter, et receptis quatenus consignetur a iudice seculari iuramento, si delinquens sit laicus, ab ecclesiastico vero, si fuerit Clericus, promissione ipsum ut supra restituendi Ecclesiæ, locove immuni sub antedicta pœna excommunicationis, si extractus in suis similiter defensionibus ei ad præscriptum prædictarum Constitutionum Apostolicarum competentibus nullitatem, et iniustitiam contumacialis sententiæ prædictæ ostenderit, et sceleris indicia diluerit, quod si id præstare nequiverit, et ex eisdem sententia, et actis rite, et recte gestis reus repertus fuerit, iudex ejus competens sententia exequi, et quando aliquem in pœna irrogata excessum deprehenderit etiam moderari valeat, ita quod quæcumque declaratio a prædicto iudice ecclesiastico facta in iudice ecclesiasticæ immunitatis super consignmentatione banniti, et in contumaciam damnati, ejusque denegatione nullatenus deservire, et a nemine allegari possit in alio diverso, ac separato iudicio in quo scilicet de prædictæ sententiæ contumacialis executione postmodum disputari contigerit, ad quem effectum dicta declaratio iudicis ecclesiastici proinde habeatur ac si non emanasset, nec ullus exinde scrupulus animo Iudicis competentis in cognoscenda, et definienda validitate, seu nullitate, justitia, seu iniustitia ejusdem sententiæ contumacialis ingeratur ».

§. 2. Quoniam autem venerabilis frater Antonius Willelmus Episcopus Paderbonensis Nobis nuper humiliter supplicari fecit, ut dispositionem prædictæ Constitutionis Clementis prædecessoris prædicti superius expressam, et insertam ad Civitates, Terras, Oppida, et Loca totius Diœcesis, et Principatus Paderbonensis, in quibus homicidia frequentissima sunt extendere, et ampliare de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Antonium Willelmum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, et tam exitiale homicidiorum flagitium, quantum cum Domino possumus propulsandum, exterminandumque advigilantes, prædictam Constitutionem pro universa, ut præfertur, S. R. E. prædictæ Ditione a memorato Clemente prædecessore factam quoad præinserta in his præsentibus literis respectivo, ad Civitates, Terras, Oppida, et Loca totius Diœcesis, et Principatus Paderbonensis auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus, atque cum omnibus declarationibus, definitionibus, provisionibus, Constitutionibus, et decretis contentis in aliis fel. rec. Benedicti XIV. prædecessoris itidem Nostri sub plumbo Anno Incarnationis Dominiæ MDCCXLIX. Idibus Martii expeditis literis, quarum tenores hic de verbo ad verbum pro expresso, et inserto haberi volumus, omnino observari præcipimus, et mandamus.

§. 4. Volumus autem veluti alias dictus Clemens prædecessor pariter voluit, et decrevit, ut, sicut in Nostra Ditione Ecclesiastica, cum extractus in suis defensionibus, quæ ad tramites juris, et Apostolicarum Constitutionum ei competuat, elidet, et diluet indicia, tum sola sententiæ contumacialis, et actorum, quibus illa fundatur exhibitio ad hoc sufficiat, ut iudex ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat agnito, num sententia contumacialis legitime, justeque prolata sit ad formam Constitutionum Apostolicarum pronunciare, et declarare queat, et debeat an bannitus, et in contumaciam damnatus consignandus veniat nec ne? tum de-

Preces porrecte ab Episcopo Paderbonensi pro relatione Constitutionis extensione ad suam Diœcesim, et Principatum.

Pontifex præcibus annuit, et Bened. XIV. etiam declarationes extendit.

Modus servandus pro obtinenda declaratione utrum delinquens consignandus sit Laicæ potestati.

nique si extractus in suis defensionibus, et ad præscriptam prædictarum Constitutionum Apostolicarum competentibus nullitatem, et injustitiam contumacialis sententiæ prædictæ ostenderit, et sceleris indicia diluerit, ita pariter in Civitatibus, Terris, Oppidis, et Locis Diœcesis, et Principatus, prædictorum hæc omnia ad præmissa dispositionem juris, et statuta localia Diœcesis, et Principatus hujusmodi intelligi debeant.

Pontifex sibi serbat futuram declarationem familiarium Ecclesiasticorum, quibus scrip-tilium privilegium servandum est.

§. 5. Ac insuper volumus, ut donec, et quousque, sive per Nos, sive per Romanos Pontifices pro tempore existentes declaratio hujusmodi facta non fuerit, ii tantummodo familiares, et officiales excepti intelligantur, et habeantur, quos de jure, et juxta consuetudinem loci cujuslibet usque ad hanc diem pro familiaribus, et officialibus habitos, et deputatos esse, et haberi, et deputari solitum est.

Clausula sub-  
blata, et decre-  
tum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentem literas, et in eis contenta quæcumque semper, et perpetuo firma, valida, et efficacia existere et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro quocumque spectabit plenissime observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius S. R. E. Cardinales etiam in latere legatos eorumdemque Cardinalium Congregationes, aliosve quoslibet quacumque præminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et defeniri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 7. Non obstantibus præmissis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non Civitatum, Terrarum, Oppidorum et Locorum Diœcesis, et Principatus hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac quorumcumque prædecessorum Nostrorum literis, privilegiis, iudicatis, et facultatibus quibusvis etiam dictis Cardinalibus, eorumque Congregationibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, alii-

sque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam Motu-proprio, et ex certa scientia, et potestatis plenitudine etiam consistorialiter, vel alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis specialis mentio facta fuisset, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut lapsis quindecim diebus postquam præsentem literæ per Civitates, Terras, Oppida, et Loca Diœcesis, et Principatus prædictorum publicatæ fuerint, omnes, et singulos in Diœcesi, et Principatu prædictis existentes perinde arceant, ac si unicuique eorum personaliter, ac nominatim intimatæ fuissent, utque eandem præsentem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxiii. Augusti MDGCLXVI. Pontificatus Nostri Anno IX.

Transumpto  
sunt fides

DLVII.

Dat. die 6.  
Sept. 1766. An.  
IX.

Archiepiscopum Gnesnensium hortatur, ut cum cæteris Regni Poloniæ Episcopis resistat conatibus dissidentium in futuris habendis totius Regni comitiis.

Venerabili Fratri Uladislao  
Archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **A**ppetente comitiorum istius Regni tempore, cum dissidentes a Catholica Religione omnem, ut suspica-

Episcopum con-  
monet de pro-  
sima convoca-  
tione Comitio-

rum Regni Po-  
loniæ, eumque  
præmonet de  
Dissentium  
conatibus con-  
tra Religionem.

mur, movebunt lapidem, ut sanctitæ adversus eos leges vel omnino abrogen- tur, vel mutatione aliqua multum de suo robore amittant, optimum existi- mamus antecapto tempore eorum oc- cupare conatus; quod facere non aliter possumus, quam Apostolicam tollere vocem nostram, et quotquot estis veræ fidei cupidi, Vos admonere, ut pro- videndo præcavendoque hostium Catho- lici nominis consilia præripiatis. Quum- que pro persona, quam in inclitæ gen- tis istius Republica geris, tuarum præ- cipue sit partium, saluberrimas in pri- mis leges tueri lata pro servanda inco- lumitate Catholicæ Religionis, cujus te novimus studiosissimum; egregiam tuam in Deum pietatem, fidem, et flagran- tissimum zelum nostris hisce literis du- ximus excitandum, ut carissimi in Chri- sto Filij Nostri Stanislai Augusti Regis animum salutaribus consilijs tuis comu- nias, ne suam patiatur aut Religionem circumveniri, aut debilitari constantiam.

Qui sicut Dissi-  
dentium cona-  
tus Archiepi-  
scopo enuclea-  
re studet.

§. 2. Et vero Principes aliquot a No- stris alienos, intelleximus a dissidenti- bus sollicitari, ut eorum causam apud memoratum Regem defendendam sus- cipiant, suoque patrocinio adjuvandam. Quapropter eo validius fraternitati tuæ in hanc rem incumbendum, quo pa- ratiore ab ejusmodi auxilijs dissiden- tes Regiam ejus Majestatem sunt ag- gressuri. Vigilantiam profecto tuam omnem ipsa rei gravitas postulat, in qua vocatur in discrimen Catholica Fi- des, et ipsa etiam extimescenda est dissidentium ratio, qua eam conantur evertere. Neque enim aperte postula- bunt, ut quam quisque Religionem colit, cum possit libere profiteri, sed per causam perficiendarum artium et introducendi commercij, quo artificijs ad exterarum gentes distractis majores opes parentur Reipublicæ, atque ita publi- cum prætexendo bonum, eam facultatem flagitabunt artificibus solum dari, et qui artium aliquod opificij exerceant genus. Atqui publicum bonum in ani- marum salute potissimum situm est, quam ut assequamur Christus Domi- nus tradidit semetipsum non ut hujus mortalis vitæ commodis plus æquo abun- demus. Id vero initium ab artificum conditione facile prudentia tua intelli- git non alio evasurum, quam ut omni- bus ex omni sæcta cujuscumque ordi- nis et conditionis tandem potestas fiat, libere, et palam impiam suam profi- tendi Religionem.

Quantum da-  
mini futurum

§. 3. Quo, nihil Catholicæ Eccle- siæ, veræque pietati exitialius. Id enim

esset in ovile Christi morbidas oves in- troducere, quæ illud tabe sua inficiant atque corrumpant. Novit Fraterritas Tua Dominum Jesum Christum se ipsum pro Ecclesia sua tradidisse ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi glo- riosam Ecclesiam non habentem macu- lam aut rugam, aut aliquid hujus- modi, sed ut sit sancta et immacu- lata. Verbum autem vitæ, hoc est ver- bum Evangelij creditum, ac fide sus- ceptum mundat eam a peccatis; quod quidem verbum summa a sacris Pa- storibus custodiendum est diligentia et fide, ne quod esse debet odor vitæ in vitam, si adulteretur fuit odor mortis in mortem.

§. 4. Præterea cum Fraterritas tua de servanda fidei puritate cogitat, eam- que a periculis studet eripere, quæ il- li ab externis hostibus parantur, inten- tum etiam animum habeat oportet in- imicis occultis, qui Ecclesiæ decorum et dignitatem imminutam volunt, cum ei conantur prerogativas et privilegia detrahere. Quæ quidem tuum omnino est una cum istius Regni Episcopis, quorum est caput, ita esse debes et ductor, omnes virtutis tuæ nervos in- tendere, ut ab inimicorum sive impe- tu, sive insidijs salva evadant, et in sna integritate remaneant. Hæc ad te, Ven. Frater scripsimus pro Apostolico Nostro munere, cui minime satisfacisse Nobis ipsi videremur, si in re tanti periculi taceremus. Magnam autem fi- duciam posuimus in tua tuorumque Coe- piscoporum in Deum pietate, et con- servandæ fidei firmissima voluntate, cui Deum precamur ut divina virtute sua constantiam addat et robur; tibi- que Ven. Frater omnibusque in Episcopa- tu Venerabilibus Fratribus Collegis tuis, quos omnes in Nostræ Charitatis gerim- us sinu, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die vi. Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno nono.

sit Ecclesiæ Dei  
ex Dissiden-  
tium ipsis con-  
atibus demon-  
strat.

Archiepiscopo  
injungit ne si-  
nas Ecclesiasti-  
cas prerogati-  
vas, et privi-  
legia, aliqua  
parte imminui.



## DLVIII.

Dat. die 10.  
Septemb. 1766.  
Ann. IX.

**Concessio Indulgentiarum, et privilegio-  
rum præ Religiosis Societatis Jesu in  
Indiis Catholicam fidem prædicanti-  
bus, aliisque dictæ Societatis Reli-  
giosis in iis partibus immoranti-  
bus, et tandem pro singulis Christi  
fidelibus in regionibus ipsis degenti-  
bus.**

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Enumerat Pon-  
tiffex indulgen-  
tias tam plena-  
rias, quam  
temporarias.

§. 1. **Animarum** saluti paterna  
charitate intenti, supplicationibus dile-  
cti filii Laurentii Ricci Societatis Jesu  
Præpositi Generalis nomine Nobis super  
hoc humiliter porrectis inclinati, ac mul-  
torum prædecessorum Nostrorum Ro-  
manorum Pontificum vestigiis inhæren-  
tes, de omnipotentis Dei misericordia,  
ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus  
auctoritate confisi; omnibus Christifi-  
delibus in quibuscumque Orientalibus,  
vel Occidentalibus Indiis, aut Brasilia,  
vel Sinarum, aliisque maris Oceani Re-  
gionibus constitutis præsentibus, et fu-  
turis vere pœnitent., et confessis, ac  
Sac. Communionem reffectis, quoties ali-  
quem ex infidelitate, et Idolatria ad ve-  
ri Dei cognitionem reduxerint, plena-  
riam; nec non iisdem vere pœnitent., et  
confessis die S. Thomæ Apostoli in In-  
diis præfatis aliquam ex certis dilecto-  
rum filiorum Presbyterorum Societatis  
Jesu Ecclesiis illarum partium Deo, vel  
in honorem Sanctorum erectis, nec non  
omnes, et singulas hujusmodi Ecclesias  
Collegiorum, Domorum, et Residentia-  
rum ejusdem Societatis Regionum præ-  
dictarum saltem inter se per centum  
milliari distantes, ut supra erectas sin-  
gulis annis quatuor diebus festis Domi-  
ni Nostri, B. M. Virginis, aut San-  
ctorum per dictæ Societatis Præpositum  
Generalem designandis visitantibus, et  
inibi Sanctissimum Eucharistiæ Sacra-  
mentum sumentibus, et pro Gentilium  
et Hæreticorum conversione pias ad  
Deum preces fundentibus; etiam plea-  
nariam; omnibus etiam, et singulis  
tam Presbyteris, quam aliis de dicta  
Societate existentibus, quos in qualibet  
utriusque Indiæ Regione, vel Oceani In-  
sula, aut navigatione pro fidei negotio  
eundo, vel redeundo mori contigerit,  
in cujuslibet eorum mortis articulo,  
saltem contritis, et confessis, si com-  
municare nequiverint, plenariam pariter.

§. 2. Scholaribus vero in utraque  
India existentibus, ac Confraternitati  
B. Mariæ Virginis inibi canonicè insti-  
tutæ adscriptis, qui in Annunciationis,  
et Assumptionis ipsius B. Virginis fe-  
stis dictum Sanctissimum Eucharistiæ  
Sacramentum sumpserint, et Coronam,  
vel tertiam partem Rosarii recitaverint;  
necnon utriusque sexus Christifidelibus  
aliquam ex Confraternitatibus canonicè  
erigendis ingressis, qui in festivitate  
Sanctissimi Corporis Christi, et illius  
octava pœnitentes similiter, et confessi  
idem Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacra-  
mentum sumpserint, et in cujuslibet  
eorum mortis articulo etiam pœnitent.,  
et confessis, ac sacra Communionem re-  
fectis, aut saltem contritis, si confite-  
ri, et cōmunicare non potuerint, plea-  
nariam similiter omnium peccatorum  
suorum Indulgentiam, et remissionem  
misericorditer in Domino concedimus.  
Insuper dictis Scholaribus ejusmodi Con-  
fraternitati adscriptis, qui in singulis  
ejusdem B. V. Mariæ, ac Resurrectionis,  
Pentecostes, et Nativitatis Domi-  
ni Nostri Jesu Christi festivitibus con-  
fessi, et contriti præmissa peregrint,  
decem annorum de injunctis eis, seu  
alias quomodolibet debitis pœnitentiis,  
iisdem quoque Scholaribus, qui in sin-  
gulis diebus Veneris cujuslibet Quadra-  
gesimæ devote processionibus publicis  
in partibus, et locis transmarinis ad  
orandum pro conversione Gentilium,  
et Hæreticorum præfatorum juxta ritum  
Ecclesiæ Romanæ institutis interfuerint,  
trium annorum; reliquis vero omnibus  
Christifidelibus, eisdem processionibus  
præsentibus contritis, et confessis unius  
anni Indulgentiam elargimur, quodque  
pro Animabus eorum Christifidelium,  
qui in præfatis utriusque Indiæ naviga-  
tionibus pro negotio Fidei instituen. ab  
humanis in charitate Christo conjuncti  
decesserint, confessi, ac Sac. Commu-  
nionem refecti tertiam partem Rosarii,  
aut unam Coronam recitaverint, quo-  
ties id agent, toties per modum suf-  
fragii unam ex dictis animabus a pe-  
nis Purgatorii liberare valeant; quod-  
que scholares utriusque Indiæ hujusmo-  
di, qui in scholis Presbyterorum dictæ  
societatis dant operam litteris, in Pre-  
sbyterorum eorundem Ecclesiis Missas,  
vel alia divina officia tempora interdi-  
cti, et cessationis a divinis audire,  
ipsique Presbyteri iisdem scholaribus præ-  
sentibus januis clausis, et non pulsatis  
Campanis, et dummodo ipsi causam  
hujusmodi interdicto non dederint, ac  
Interdictis, et Excommunicatis exclu-

Pœnitentes in-  
dulgentia con-  
ceduntur: Schol-  
aribus præfatis  
Societatis in  
utraque India.



sis, celebrare respective possint, concedimus, et indulgemus.

Extenduntur,  
et enucleantur  
indulgentiæ  
pro singulis  
utriusque sexus  
Christifidelibus.

§. 3. Insuper præfatis omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus in Indiis, et regionibus præfatis existentibus, qui contriti, et confessi quamlibet Ecclesiam, et Cappellam in eisdem partibus, dictorum Presbyterorum Societatis Jesu cura, et opera, ut supra, erectam, aut in futurum erigendam devote visitaverint, et, ut supra, oraverint, quadraginta dies, et semel quolibet anno aliquo die festo Domini Nostri Jesu Christi, B. M. Virginis, aut Sanctorum, quem Provincialis dictæ Societatis constituerit, septem annos, et totidem quadragenas: Eisdem, qui aliquam ex præfatis Ecclesiis dictorum Presbyterorum Societatis Jesu Quadagesimæ, et aliis temporibus Stationum Urbis Dominicis, et feria sexta diebus visitaverint, easdem omnes, et singulas Indulgentias concedimus, quas consequerentur, si Ecclesias, et Basilicas Urbis in diebus Stationum hujusmodi visitarent; illisque, qui singulis diebus feriæ sextæ primæ hebdomadæ cujuscumque mensis easdem Ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies Orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam pro exaltatione Fidei Catholicæ recitaverint, septem annos; in festis vero Domini Nostri Jesu Christi, ac B. Virginis, Apostolorum, sub cujus titulo Ecclesia consistet, decem annos. His autem, qui aliquam ex dictis Ecclesiis postquam confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumperint, visitaverint, toties viginti annos; ac iisdem Christifidelibus utriusque Indiæ, et Transmarinarum limitum, qui processionibus, et precibus juxta Ritus S. R. E. a præfatis Presbyteris de ordinariis licentia instituendis, et agendis Indorum, et Æthiopum, seu quorumvis aliorum Neophytorum, et aliorum Christianorum interfuerint, et eas associaverint, Christianam doctrinam cum eisdem Presbyteris, vel ab eis deputatis recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; Invisentibus autem infirmos, et præsertim Indorum Hospitalia, Xenodochia, et alia similia Loca pia, ipsis etiam infirmis per se, vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint, viginti quinque, qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint, quinquaginta; Eis etiam, qui coram B. Imagine Mariæ ab Alma Urbe ad Collegium Civitatis Limæ in Perù (ut asseritur) delata ter-

tiam Rosarii partem, vel Coronam recitaverint, centum similiter dies de injectis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consuetæ relaxamus, ac respective concedimus, et indulgemus.

§. 4. Præterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputatis Presbyteris, cum Neophytis Provinciarum utriusque Indiæ, aliarumque maris Oceani regionibus, in quibus inter infideles existunt fideles etiam aliunde profecti in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiæ tantum, gratis tamen, et justa impellente causa, dispensandi; Itemque in præfatis Provinciis præsentia Ordinariis similem facultatem habentium destitutis, vel ab eis ultra duas Dietas non minus ducentis millibus passuum remotis, in iisdem gradibus, excepto tamen primo, etiam in utroque Foro, et sine judiciali processu gratis, et justis concurrentibus causis, dispensandi, et eos, qui in his gradibus prohibitis, etiam scienter contraxerint, ab excessibus Excommunicationis, aliisque censuris, et pœnis Ecclesiasticis, in utroque Foro pariter absolvendi et prolem exinde susceptam legitimam decernendi; ac insuper eisdem Provincialibus, et Presbyteris deputatis cum præfatis Neophytis in primo etiam gradu rectæ lineæ affinitatis ex copula illicita resultantis (dummodo nullum subsit dubium quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita) sese attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in occultis tamen, et in foro conscientiæ tantum, ac urgentibus justis causis, gratis etiam dispensandi, et eos, qui in gradibus hujusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus, excommunicationis, aliisque censuris, et pœnis Ecclesiasticis in foro conscientiæ tantum gratis pariter absolvendi facultatem auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, et impertimur; nec non ipsis Presbyteris in eisdem Indiis, et locis prædictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiæ fragmenta, seu minutia pro tempore interciderint, etiam post peractum Sacrificium absque ullo conscientiæ scrupulo, juxta Rubricas Missalis Romani reverenter sumendi.

Privilegia Provincialibus, vel Presbyteris ab eis deputatis elargiuntur dispensandi in matrimonio quoad forum conscientiæ.

Plura alia privilegia Sacerdotibus hujus Societatis concessa, referuntur.

§. 5. Insuper Presbyteris ejusdem Societatis Jesu, quos in Saracenorum, et aliorum infidelium terras, et alias utriusque Indiæ, et trasmarinas regiones Maris Oceani, ad quas Hispani, et Lusitani penetrant, ac in Provincias remotissimas, ubi non est inquisitio, et fideles, inter infideles degunt, neque Ordinarii saltem intra duas dietas existunt hujusmodi facultatem habentes, Præpositus Generalis miserit Christianos in eisdem Provinciis, Indiis, et Regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, sententiis, et censuris, etiam in Bulla Cæna Domini contentis, et reservatis, etiam gratiose absolvendi facultatem; eisdemque, ut semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad prædicandum, confessiones audiendas, et missas celebrandas in Ecclesiis, et Oratoriis Societatis Jesu præfatæ pro ministeriorum hujusmodi exercitio ulterius licentiam, et approbationem ab aliis Episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere, seu habere minime teneantur, sed absque illis præmissa facere possint. Si vero Episcopus ab ecclesia, vel loco, ubi prædicatur, vel confessiones audiuntur, non distet ultra præfatas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quæ tamen per epistolam, etiam impetrari possit. Possint etiam extra ecclesias consecratis super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubicumque non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam post meridiem in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare; necnon in Maluco, Jappone, et aliis insulis, terrarum, provinciarum, et locorum præfatorum partibus, et locis a quibus valde remoti sunt Episcopi, oleis sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis, libere uti possint. Necnon, ut quicumque ex præfatis presbyteris societatis præfatæ tantum sacrosanctum missæ sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vita in charitate Christo conjuncti decesserunt, in singulis ecclesiis societatis Jesu ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare celebraverint, per modum suffragii, ut supra, iisdem animabus possint.

Tribuitur facultas dispensandi a voto castitatis in foro tamen conscientie.

§. 6. Postremo iisdem presbyteris a præposito generali ex dicta societate deputandis, ut in præfatis regionibus, provinciis, et locis, in quibus similiter fideles cum infidelibus vivunt, et non adsunt ordinarii, qui hujusmodi facultatem habeant, qui distant ultra duas dietas, cum neophytis, aliisque ad fidem redactis ex rationabili causa, et legitima super voto castitatis (non tamen solemnium) quomodolibet etiam per ordinis sacri susceptionem, vel professionis regularis in religionem per sedem apostolicam approbata emissionem, facto dispensandi, gratia tamen, et in foro conscientie tantum; ac super bonis male acquisitis, ad quæ restituenda ipsi neophyti, et alii præfati incertis personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel si ipsi indigerent, in toto, vel in parte remittendi; necnon cum Indis in foro conscientie tantum, et cum neophytis in utroque foro super jejuniis, gratis tamen, dispensandi; necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis, vel alia rationabili causa petere in foro conscientie tantum, et gratis liberandi, licentiamque legendi libros infidelium, ac hæreticorum, necnon quorumcumque aliorum, tam in indice romano, quam alias quomodolibet prohibitos, et damnatos, ad finem, et effectum dumtaxat hujusmodi libros, vel Hæreses, vel errores in eis contentos confutandi, ad breve tempus, vel quousque hujusmodi librorum confutandorum lectio necessaria fuerit, personis dignis concedendi, facultatem, et potestatem apostolica auctoritate, tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Indultum recitandi missas ubilibet per horam ante auroram.

§. 7 Missas quoque per horam ante auroram ipsi patres societatis celebrare possint, et cum suis regularibus ut ad sacros, etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam ætatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus. Et insuper quia a nonnullis dubitatum, seu hæsitatum fuit, an omnes indigenæ illarum regionum oriundi, et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati jure neophyti appellari possint, idcirco tenore earumdem præsentium decernimus, et declaramus, omnes oriundos, seu naturales supradictarum omnium tam orientalium, quam occidentalium partium, imo etiam si Æthiopi, Angulani, vel quarumvis aliarum trasmarinarum regionum, etiam si Christianorum filii, et in infantia baptizati, vel etiam interse, vel cum europeis mixtim progeniti sint, ad concessionis ejusmodi effectum esse, et intelligi debere neophytos, dictosque presbyteros cum hujusmodi, ut vel matrimonio con-

jungi; vel in jam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis, et alias, ut supra, in quibuscumque consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, ut supra non exceptis, gratis tamen dispensare posse concedimus, et indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, majus dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus, et matrimoniis contractis, et contrahendis præfatis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare, eisdem presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8 Decernentes, presbyteros dictæ societatis super præmissis, et aliis juxta facultates prædictas, et illarum vigore, servata tamen illarum forma exequendis, et quovis alio prætextu; vel quovis colore per quoscumque loci ordinarios, seu alios superiores, et iudices ecclesiasticos, et sæculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posset sicque in præmissis per quoscumque iudices, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit Nostra de non concedendis indulgentiis ad instar statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus ad viginti annos a fine aliorum viginti annorum, ad quos consimiles gratiæ a fel. rec. Benedicto PP. XIV prædecessore Nostro concessæ fuerunt inchoandos, tantum valituris. Volumus autem ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel secretarii dictæ societatis subscriptis, et sigillo præpositi generalis ejusdem societatis, vel alterius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die x. Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno Nono.

DLIX.

Dat. die 17.  
Sept. 1766. A. I.  
IX.

Quæ Mexicano Archiepiscopo, vel eo defuncto, Vicario capitulari facultates indultæ fuerant per hujus Pontificis Constitutiones anni 1763. Julii 7. itemque anni 1765. Junii 8, eas prævia præcedentium Constitutionum confirmatione pro proxime convocando Capitulo Generali Ordinis Fratrum Bethlehemitarum extendit ad successorem in ipso Mexicano Archiepiscopatu.

Quæ se habent ad præcedentes in hac materia Constitutiones vide hoc Tom. III. sub num. CDLXX. pag. 73.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

1. **D**udum Nos per alias Nostras in simili forma Brevis die vii. Julii MDCCLXIII. expeditas literas ad tollendas omnes novitates inter fratres Ordinis Bethlehemitarum nuncupatorum in Indiis occidentalibus Apostolica auctoritate instituti, invectas contra tenorem, et dispositionem Constitutionum ejusdem Ordinis dicta auctoritate confirmatarum, tunc esistenti Præfecto generali ipsius Ordinis commisimus, et mandavimus, ut omnes novitates hujusmodi statim abolere, ac earundem Constitutionum observantiam, pristinamque vigorem restitueret, ita ut de hujusmodi Nostri sibi injuncti mandati executione idem Præfectus generalis, vel in casu sui obitus, tunc existens Vicarius generalis apud pariter tunc existentem Archiepiscopum Mexicanum, antequam proximum generale Capitulum ejusdem Ordinis inibi currenti anno habendum celebraretur, docere deberet, sub indignationis Nostræ, ac privationis juris præsidendi in eodem Capitulo generali ab alterutro id non adimplente ipso facto incurrendis pœnis; quo casu idem Archiepiscopus tunc existens, eoque tunc impedito illius Vicarius in spiritualibus generalis, seu officialis, et, si sedes Archiepiscopalis Mexicana tunc vacans extitisset, illius Vicarius capitularis legitime deputatus, in dicto Capitulo generali eadem auctoritate præsideret, et circumscriptis abrogatisque omnibus innovationibus, ad novi Præfecti generalis electionem ita deveniri faceret, ut ab eo exigendum esset juramentum super omnimoda observantia dictarum Ordinis hujusmodi Constitutionum, ac alias, prout

Referantur præcedentis Brevis dispositiones.

in eisdem Nostris literis, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Uteriores dispositiones per aliam Breve præcedenti posterius.

§. 2. Subinde vero per alias pariter Nostras in simili forma Brevis die xxvii. Augusti MDCCLXIV. expeditas literas cum allatum fuisset nuncium obitus Præfecti generalis dicti Ordinis, ac plurimarum perturbationum inde secutarum propter officium Vicarii generalis indebite, ut asserebatur, ac illegitime assumptum a Priore conventus ejusdem Ordinis Guatimalensis Civitatis, nulliter, utpote non servata forma Constitutionum dicti Ordinis, ad id munus Prioris electo, qui nedum innovationes anno MDCCLVII. adversus Ordinis Constitutiones fovebat, sed alias etiam majores promovebat: Nos, ad mala hujusmodi avertenda, jus præsidendi dicto Capitulo, quod in præcedentibus Nostris literis Emmanueli tunc existenti Archiepiscopo Mexicano prædicto tributum fuerat sub conditione, et in casu, quo Præfectus generalis, vel per sui obitum Vicarius Generalis dicti Ordinis ante Capitulum hujusmodi non docuisset de abolitione omnium perniciosarum novitatum, ac restitutione observantiæ Constitutionum Ordinis in pristinum vigorem, hac etiam sublata conditione, eidem Emmanueli Archiepiscopo, et, sede Archiepiscopali Mexicana vacante, Vicario capitulari Metropolitanæ Ecclesiæ prædictæ legitime deputato, veris existentibus narratis, eorumque veritate per certas ac legitimas probationes comperta, concessimus, et indulimus, ac præter facultates in præcedentibus Nostris literis eidem jam attributas, aliasque etiam de novo ipsis concessas, ut Capitulum generale proxime habendum in civitate Mexicana convocare, et, si necessarium, aut expediens foret, ad aliquod breve tempus pro ejus arbitrio et conscientia prorogare posset, dicto Archiepiscopo Mexicano, et eo non existente, ac viam universæ carnis ingresso, Vicario capitulari prædicto facultatem dedimus, atque tribuimus, ac alias, prout in dictis Nostris literis, quarum pariter tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

§. 3. Nuper autem Nobis exposuit dilectus filius Noster Antonius Andreas S. R. E. Presbyter Cardinalis Galli nuncupatus, ejusdem Ordinis, et Fratrum Bethlemitarum apud Nos, et hanc Apostolicam Sedem Protector, quod posteaquam dictus Archiepiscopus Mexicanus vigore facultatum sibi in prædictis Nostris literis tributarum memoratum Prio-

rem Conventus Guatimalensis officio Vicarii generalis, per seipsum, ut præfertur, indebite ac illegitime assumpto, privaverat, ac in ejus locum primum Assistentem dicti Ordinis juxta Cap. ix. illius Constitutionum posuerat, viam universæ carnis idem Emmanuel Archiepiscopus ingressus fuit, Nosque Ecclesiæ Mexicanæ prædictæ, Pastoris solatio destitutæ, venerabilem fratrem Franciscum Antonium in Archiepiscopum præfecimus et Pastorem. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in prædictis Nostris literis diei xxvii. mensis Augusti MDCCLXIV. jus præsidendi dicto Capitulo, aliæque facultates in eis contentæ memorato Emmanueli tunc Archiepiscopo Mexicano, et ejus obitu eveniente, Vicario dictæ metropolitanæ Ecclesiæ capitulari legitime deputato tributæ fuerint, nulla in eodem Archiepiscopatu successorum facta mentione; hinc ne dubitandi occasio aliqua unquam oriatur, atque, ut perturbationes omnes procul ab Ordine hujusmodi arceantur, idem Antonius Andreas Cardinalis et Protector jus præsidendi memorato Capitulo, et facultates omnes in præcedentibus Nostris literis contentas, expressas, et attributas, denuo ad cathedram, et ad omnem et quemcumque bonum finem, et effectum dicto Francisco Antonio moderno Archiepiscopo Mexicano concedi et tribui, aliisque in præmissis per Nos opportune provideri, et ut infra, indulgeri summopere consideret.

§. 4. Nos supplicationibus ipsius Antonii Andreae Cardinalis et Protectoris super hoc humiliter porrectis inclinati jus præsidendi in præfato Capitulo, ac omnes et quascumque facultates quomodolibet in præcedentibus Nostris literis dierum vii. Julii MDCCLXIII. et xxvii. Augusti MDCCLXIV. ut præfertur, eidem Emmanueli tunc Archiepiscopo Mexicano datas, concessas, et attributas, quatenus opus sit, denuo præfato Francisco Antonio moderno Archiepiscopo Mexicano, ac pro tempore existenti ejusdem Mexicanæ Ecclesiæ Archiepiscopo successori, eoque impedito illius Vicario, in spiritualibus generali, seu officiali, et quoties, quod Deus avertat, sedes Archiepiscopalis Mexicana vacare contigerit, Vicario capitulari ejusdem metropolitanæ Ecclesiæ legitime deputato, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, tribuimus, et indulgemus; eisdemque præterea omnes et quascumque innovationes post obitum dicti Emmanuelis Ar-

Porrectas preces Pontifex excipit, facultatesque extendit, atque confirmat.

Preces porrectæ ut facultates Archiepiscopo Mexicano tribuere ad ejusdem successorem extendantur.

chiepiscopi contra tenorem, ac dispositionem Constitutionum Ordinis hujusmodi, omniaque et singula gesta, et contra eas, ac contra dispositionem earundem Nostrarum literarum quomodolibet facta circumscribendi, abrogandi, et abolendi facultatem pariter eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, et elargimur. Non obstantibus iis omnibus, quæ in præcedentibus Nostris dictis literis non obstare volumus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno nono.

## DLX.

Dat. die 17.  
Septem. 1766.  
Ann. IX.

Frisingensem, et Ratisponensem Archiepiscopum laudat ob eius Edictu adversus libros impiorum et libertinorum.

Venerabili fratri Clementi Episcopo Frisingensi et Ratisponensi Coadiutori Augustano

## Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

**O**pinionem nostram de flagrantissimo tuo religionis pietatisque studio confirmarunt literæ, quas ad nos dedit die XXV. proxime elapsi mensis Augusti fraternitas tua: attulerunt enim tuum edictum, quo novum exhibuisti documentum quantæ curæ tibi sit catholicæ fidei integritas. Nihil profecto exitiusius Dominico gregi impiorum lectione librorum, quibus propterea vigilantis Pastoris et de æterna suarum ovium salute solliciti præcipuæ sunt partes aditus ad Diœcesim suam omnes obstruere. Quamobrem zelum tuum magnopere amamus, quod pestilentissimos libros edicto illo proscriptos e fidelium manibus excussos voluisti. Librum etiam cujus Auctor Ecclesiam suis expoliare conatur immunitatibus recte condemnasti. Cavendum enim est maxime etiam ab iis, qui si non impiam doctrinam docent, tamen Ecclesiæ prærogativas oppugnant, idque student ut illa decidat e sua indignatione. Quo fit ut contemptui tandem habeatur magno cum ipsius fidei periculo. Deum oramus, ut talibus inceptis tuis misericors

annuat; ejusque speramus præsto tibi futuram præpotentem opem; qua adjutus, eos fructus feras in Ecclesia Dei, quæ a tua pietate et egregia in catholicam fidem voluntate boni omnes sibi pollicentur. Et fraternitati tuæ qui in nostræ caritatis gerimus sinu, omni cordis Nostri affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima septima Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono

## DLXI.

Dat. die 23.  
Septem. 1766.  
Ann. IX.

Decretum sacre Congregationis Consistorialis circa administrationem cathedralium in insulis Philippinis, nempe Nominis Jesu, novæ Segobiæ, et de Caceres, quæ capitulis carent, tempore vacationis sedis Episcopalis, ad triginta annos prorogatur

## Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **N**uper emanavit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium rebus consistorialibus præpositorum decretum teneris, qui sequitur, videlicet = Insularum Philippinarum prorogationis indulti administrationis sacra congregatio rebus consistorialibus præposita precibus indulgendo serenissimi regis Catholici, censuit prorogandum esse ad alios annos triginta indultum ab hac sacra Congregatione die XXV. Junii MDCLXXXVI. concessum, et die XXVII. Septembris anni MDCCIII. nec non die XXI. Dec. MDCCXXXV. ad alios triginta annos prorogatum, vi cujus eventient in aliqua ex tribus Ecclesiis, nempe Nominis Jesu, novæ Segobiæ, et de Caceres, quæ in Insulis Philippinis capitulo carent, quæque Archiepiscopo Manilien. suffragantur, vacationis casu, Ecclesia vacans ab Episcopo viciniori administrabitur. Factaque per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua sacre Congregationis sententiam benigne approbavit. Datum Romæ die 16 Septembris 1766

Referatur tenor decreti Sacre Congregationis Consistorialis.

§. 2. Cum autem sicut pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum Regis Catholici nobis nu-

Pontifex ad preces Regis Hispaniarum decretum confirmat, et approbat.



per expositum fuit, ipse Karolus Rex decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communi summopere desideret; nos dicti Karoli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Karoli Regis nomine nobis humiliter correctis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac in Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.



DLXII.

Dat. die 26.  
Septem. 1766;  
Anno IX.

Cum Eichstetensi Episcopo conqueritur, quod nonnulla bona ipsius Ecclesiæ alienare favore Baviaræ Ducalis Domus promiserit, Apostolica Sede inconsulta.

Venerabili fratri Raymundo Antonio Episcopo Eichstetensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **E**x pluribus litteris, quas subinde a fraternitate tua, ut occasio tulit, accepimus, comperisse nobis videmur præclaras ad Episcopatum te attulisse virtutes, flagrantissimum divini honoris et gloriæ zelum, animarum sanctificandarum eximium studium, et in Ecclesia tuenda, ejusque juribus defendendis fortitudinem atque constantiam. Et in eo quod ad tuam in Deum pietatem ejusque cultum, et ad gregis recte regendi rationem pertinet, est quamobrem de opinione, quam de te concepimus, nobis ipsi plane placeamus. Sed de firmitudine, qua Episcopalem animum esse munitum oportet, vehementer dolemus, quiddam esse, quod tecum gravissime conosceri debeamus.

Episcopum Inudat pro divini nominis zelo, sed de animi parum firma constantia condatetur.

§. 2. Nobis enim allatu est pluribus vexationibus faticatum, quæ a Bavarica Domo tibi frequentissimæ oriuntur, id demum te cepisse consilij, ut cum ea transigendo omnium controversiarum molestiis liberatus, perpetua tandem in pace conquiescas. Sed illud considerandum Ven. frater, in Episcopatu nullum esse quietis et tranquillitatis locum, cavendumque maxime, ne nimia otij cupiditate per animo molitiam officium nostrum prodidisse insimulemur: transactionem, quam cum dilectissimo Filio, nob. Viro Baviaræ Duce configere instituisti, multa continere accepimus, quæ magno Ecclesiæ tuæ sint detrimento, in quibus illud præcipuum, quod duo Castra tradere cogitas Tunnhausen et Brunk, quæ quisque capitularium in primo ad capitulum ingressu, solemnij juramento promisit, se nunquam passurum alienari.

Quam inconsulto cum Ducali Bavarica Domo transactionem instituerit, demonstrat.

§. 3. Præterea non ignorat fraternitas tua cujusque modi alienationis Ecclesiasticorum honorum vetitas esse; ac

Quam nulla Ecclesiastica alienatio, inconsulta Apo-

stolica Sede  
valide peragi  
possit, cum  
hortatur ut a  
male concepto  
proposito dis-  
sistat.

si qua intervenerit causa, cur de iis alienandis agi posse in ipsius Ecclesiae bonum existimetur, unius esse Apostolicæ sedis judicare, nunquam alienatio in Ecclesiae commodum cedat. Nos propterea de transactione, quam moliris, docere omnino debes atque consulere, nostrumque expectare iudicium. Quamobrem te hortamur in Domino atque etiam tibi præcipimus, ne animum inducas quidquam de Ecclesiae tuæ bonis cum quoquam pacisci nobis inscijs et inconsultis. Nam et nihil egeris, nisi accedat Apostolicæ hujus sedis consensus, nec quidquam aliud consequare, quam ut videaris maluisse de tuæ quieti, quam Ecclesiasticæ tuæ utilitati prospicere, et otij tui studium plus quam juramenti Religionem apud te valuisse. Quamquam ne ea quidem transactione tibi tuisque successoribus quietem a litibus paras; quod satis intelligere potes, si paullulum prospicis ad ea, quæ cum Bavariæ Dux mortalitatem expleverit, sunt eventura. Itaque de obsequio tuo, quod usque adhuc eximium exhibuisti erga Apostolicam sedem, nihil dubitantes confidimus, te ulterius non progressurum, dum de omni hac re Nos edoceas; et expectaturum, dum certior a nobis fias quid ea de re ipsi sentiamus. Et fraternitati tuæ omni animi nostri affectu Apostolica benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxvi. Sept. MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno IX.

## DLXIII.

Dat. die 27.  
Sept. 1766. An.  
no IX.

Statuitur qualis debeat esse consuetudo, cujus vigore Curiae Ecclesiasticæ iudicium ferre possint in causis criminalibus laicorum in ditione Pontificia

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

§. 1. **P**restat romanum Pontificem, utramque, quam habet in subditos suos jurisdictionem, tum ecclesiasticam, tum sæcularem, ita in suos magistratus derivare ac distribuere, ut bonus inde ordo, non ordinis perturbatio contingat, nec detrimenti quidquam justitia patiatur.

§. 2. Accepimus nuper, gravem agitari litem inter curiam episcopalem, et curiam laicalem civitatis Tuderti super jure cognoscendi causam Furti, ut ajunt, qualificati, cujus reus, cum ab homine laico ad tribunal Episcopi accusatus fuisset, laicus alter, quem curia episcopalis, recepta accusatoris querela, carceribus mancipari jusserat, conquestus de hoc fuit Rector civitatis causatus, iudicium de furto, quod a laico in laicum de re prophana patratum fuerat, ad suam jurisdictionem pertinere. Repugnabat autem curia episcopalis, quod legitima consuetudine præscripsisse se diceret cumulativam jurisdictionem cognoscendi etiam causas criminales laicorum. De qua re disputatum diu fuit in congregatione præposita negotiis sacrosanctæ Immunitatis, quæ principio jussit proferri acta curiæ episcopalis ad hujus consuetudinis probationem: mox data defensoribus fisci scribendi copia, licet in tertia propositione existimaverit hujus criminis causam ad curiam episcopalem pertinere, in quarta tamen anceps iudicium fuit, scissis in æquas partes suffragiis, quod cum nobis causæ celeriter expediendæ decisionem, reo interim in carceribus permanente et marcescente, longius protrahere videretur, illam idcirco a prædicta congregatione ad nos advocavimus, præcipientes curiæ episcopali Tuderti, ut reum traderet curiæ Rectoris civitatis, nulla interposita mora judicandum.

Refertur peculiaris casus controversiæ exortæ in hac jurisdictionali materia.

§. 3. Nunc vero, cum ex hujus iudicii contentione, et ex aliis, quæ Nobis delatæ sunt, magistratuum sæcularium querelis intellexerimus, facilenimum in ditione Nostra, ex quadam hominum conniventia perturbari, et commisceri cœpisse fines utriusque jurisdictionis ecclesiasticæ et sæcularis, et hinc multa oriri impedimenta et obstacula in exercenda et administranda ea præsertim justitia ad publicam vindictam criminum pertinente, quam neque differri neque remitti posse sine gravissimo reipublicæ detrimento arbitramur. Volentes idcirco his omnibus providere, præsentem hanc constitutionem, qua finis abusibus imponatur, promulgandam statuimus.

Quamplurimæ querelæ exortæ sunt quoad hanc jurisdictionem.

§. 4. Itaque, quum sacris Canonibus sancitum sit, in prophanis omnibus causis actorem sequi forum rei, qui, si clericus sit, vel foro ecclesiastico aliunde gaudeat, in foro ecclesiastico, sin autem laicus in foro laicali, exceptis tamen causis mixti fori, sive aliter

Servanda est consuetudo cumulativæ Ecclesiasticæ jurisdictionis, quatenus legitime constituta sit.

privilegiatis, conveniri debeat, idque perpetuo servari oportere, ni alias laudabilis locorum consuetudo induxisset, ut causæ etiam laicorum, specie quadam cumulativæ jurisdictionis, ad forum ecclesiæ traduci possint: Nos quoque, quibus maxime cordi est, quidquid sacris Canonibus cautum reperitur, studiose servare, ac tueri, consuetudinem ejusmodi, quæ ecclesiasticæ jurisdictioni favet, sive inductam, sive inducendam non in civilibus modo, sed etiam in criminalibus causis probamus, laudamus, eamque sartam, tectamque manere jubemus, nihil quidquam de ejus vi et robore detrahentes, neque aliquid desuper innovantes.

Decernitur  
quænam ha-  
benda sit con-  
suetudo legiti-  
ma constituta.

§. 5. Sed quoniam experientia compertum est, prætextu quandoque consuetudinis, vel minus legitimæ, vel non omnino constantis, neque a legitimis ductæ principis, facile nimium moveri, nonnullas hujus nostræ ditionis curiæ episcopales, et ecclesiasticas, ut præoccupata magistratuum sæcularium jurisdictione, ad se trahant cognitionem criminum etiam gravissimorum, quorum reos licet laicos, neque foro ecclesiastico ullatenus gaudentes, cum apud eas accusantur carceribus statim mancipant, eosque tradere renuunt curiis nostris sæcularibus juste puniendos: bonum idcirco duximus præsentis hac constitutione, ut abusibus occurratur, declarare quæ, et qualis esse debeat legitima secundum Canones consuetudo, qua curiis episcopalibus, et ecclesiasticis jus esse possit de reorum laicorum causis criminalibus cognoscendis, et judicandis. Igitur non omnem ad id consuetudinem, sed illam tantum valere jubemus, quæ et quadragenaria sit, et perpetuo constans, non unquam vel contradicta, vel interrupta. Præterea constitui eam volumus multiplicitate, ac frequentiam actuum non levium sed gravium, quos constat gestos fuisse animo præscribendi jurisdictionem sæcularem, non ex gratia, vel conniventia toleratos, neque tales, qui fieri fortasse potuerint citra certam, præcisamque scientiam, et acquiescentiam, vel nostram, nostrorumque pro tempore Successorum, vel saltem supremorum magistratuum nostræ hujus Urbis, quos præcipue ad publicam persequendam vindictam criminum præponere consuevimus: nullam prorsus in re tam gravi haberi mandantes rationem de scientia ac patientia Rectorum localium, aliorumque inferiorum magistratuum sæcularium, qui-

bus quandoque vel oscitantibus, vel metu quodam reverentiali conniventibus, ac tolerantibus nequaquam licere, ac licuisse statuimus, gratia, acquiescentia, ac patientia sua legitimam facere consuetudinem, qua mandata eis jurisdictio, perturbato utriusque potestatis ordinem, minuatur. Si ea itaque consuetudo afferatur, qualem modo statuimus, illam volumus custodiri, ac servari, inductam vero aliter reprobamus, et nullius esse roboris Nostra hac constitutione decernimus.

§. 6 Præsentem autem literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad id vocati, vel auditi non fuerint, vel causæ, propter quas præsentem emanarint expressæ et verificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio: seu intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel infringi nullatenus posse, sed illas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; atque ita et non aliter in quibusvis tribunalibus, ac per quoscumque iudices in hac materie competentes, etiam specifica et individua mentione dignos decerni, et judicari decernimus, et mandamus, sublata cui libet aliter judicandi, et interpretandi facultate, atque autoritate, ac irritum et inane etiam decernentes, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritum.

§. 7 Non obstantibus quibusvis Apostolicis, si quæ essent, constitutionibus, et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis, etiam de necessitate exprimentis alias concessis, et quavis firmitate roboratis; quibus omnibus et singulis; eorum omnium tenores præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§. 8 Nulli ergo hominum licet paginam hanc Nostræ statuti, declarationis, voluntatis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: (si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Sanctio poenalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Ma-

jorem Anno Incarnationis Dominicæ  
MDCCLXVI. Octavo Kal. Sept. Pontifi-  
catus Nostri Anno IX.

Dat. die 29.  
Octobr. 1766.  
Anno IX.

DLXIV.

Viennensem in Delphinatu Archiepisco-  
pum commonet de comisso ab Apo-  
stolica sede processu super reformatio-  
ne canonicorum S. Ruffi.

Venerabili fratri Guilelmo Archiepiscopo  
Viennensi in Delphinatu.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem ,  
et Apostolicam benedictionem.

Quomodo Apo-  
stolica sedes  
procedendum  
daxerit ante-  
quam de con-  
servando, vel  
delendo Ordi-  
ne Canonico-  
rum S. Ruffi  
aliquid decer-  
nat.

§. 1. **F**raternitatis tuæ literas ac-  
cepimus, quæ gravem horum tempore-  
rum habent querelam, nobisque satis  
ostendunt, quanta animi tui ægritudo  
ex his malis, quibus in die magis reli-  
gio videtur collabefieri. Quamobrem zelum  
Dei ejusque honoris et gloriæ, quo  
te, venerabilis frater, tuosque istius Pro-  
vinciæ collegas flagrare cognovimus, ve-  
hementer amamus, ac magnopere lau-  
damus, cum idcirco de retinendo Ordi-  
ne S. Ruffi tantopere laboratis, quod  
existimatis, eo sublato, pauciores in po-  
sterum apud Vos fore sacros ministros,  
et salutare sacramentorum pabulum do-  
minico gregi defuturum. Sed futurum  
ne sit in Ecclesiæ rem illum Ordinem  
conservari, quem ajunt usque eo pro-  
lapsum esse, ut jam reformari nequeat,  
id vero diligenter est Nobis examinan-  
dum. Quapropter ea de re processum  
a Delegato nostro Ven. fratre Episcopo  
Meldensi institui jussimus; et ad eum  
putamus vos jam attulisse rationes et do-  
cumenta, quibus innixi tutelam illius  
Ordinis suscepistis. Easdem rationes et  
documenta suo tempore cum ad Nos  
processus ille perlatus fuerit accuratis-  
sime perpendemus.

Archiepisco-  
pum hortatur,  
ut patienter  
substineat con-  
tumelias, quis  
Episcopi para-  
ti esse debent  
propter Chri-  
stianum.

§. 2. Quod scribis per occasionem  
hujus controversiæ, vestram famam con-  
tumeliosus probosisque scriptis et male-  
volis sermonibus hædi, cogitare debes,  
nullam aliam Christiano homini, ac præ-  
sertim Episcopo, propositam esse viven-  
di rationem, quam vitam Jesu Christi,  
qui nullam pro Ecclesia sua recusavit  
injuriam, et contumeliam, nobis reli-  
quens exemplum ut ejus vestigia sectemur.  
Itaque bñus Paulus et occasione-

bus portandi improprium Christi, et  
immitandi ejus exemplum, jucundita-  
tis causam sibi esse oblatam arbitra-  
tur non querelarum materiam = *Pro-*  
*pter quod*, inquit, *placeo mihi in meis*  
*contumeliis in necessitatibus in persecu-*  
*tionibus, in angustiis pro Christo* = Tu  
vero, Ven. Frater, confortare et esto ro-  
bustus in Domino; idque persuadeto ti-  
bi, ut tu nunquam in hac re tuum de-  
seres officium, sic vel favore vel gratia  
ab eo quod justum est, nunquam de-  
flexuram esse Apostolicam sedem et fra-  
ternitati tuæ intimo nostræ caritatis af-  
fectu Apostolicam benedictionem pera-  
manter impertimur. Datum Romæ apud  
S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris  
die vigesima nona Octobris MDCCLXVI.  
Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXV.

Dat. die 29.  
Octobr. 1766.  
Anno IX.

Cum Bisuntino Archiepiscopo queritur  
de quodam Decreto, quo jura Apo-  
stolicæ sedis, quoad beneficia Eccle-  
siastica Comitatus Burgundiæ lædun-  
tur, eundemque commonet ut jura  
ipsa vindicare apud Christianissimum  
Regem curet.

Dilecto filio nostro Antonio S. R. E. Car-  
dinali de Choiseul Archiepiscopo Bi-  
suntino.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **G**ravissimam Nobis mole-  
stiam attulit Arrestum, ut vocant, die 31.  
proxime elapsi mensis Julii editum, quo  
Comitatum Burgundiæ vetat Bisuntina  
curia *Terram Obedientiæ* in posterum  
appellari, eamque Provinciam statuit  
*Terram* usus tantummodo nominandam,  
et in eo Comitatu quod ad rem bene-  
ficiariam attinet nullum octavæ regulæ  
Nostræ Cancellariæ in jure comuni lo-  
cum edicit esse debere. Cujus Arresti  
novitate perculti, justissimas ad Christia-  
nissimum Regem querelas nostras deferri  
curavimus; et nunc per has literas, di-  
lecte fili Noster, te vehementer hor-  
tamur in Domino et obtestamur, ut fla-  
grantiore usque studio urgeas, quod jam  
magna tui cum laude suscepisti. Novi-  
mus enim te omnem cohortationem no-  
stram antevertendo tua sponte zelo, justi-

Archiepisco-  
po significat  
Pontifex, se  
instetisse penes  
Francorum Re-  
gem contra De-  
cretum de quo  
hic sermo est.

tiae incensum incunitanter in hanc causam descendisse, qua in discrimen vocantur Apostolicæ sedis jura, quæ tueri et defendere recte existimasti tui esse Pastoralis officii, et ipsius personæ, quam in Romana geris Ecclesia. Profecto ægretudinem nostram ex injusto illo Arresto, quo Nostra convelluntur Apostolica jura, valde tua dilecte fili Nostri lenivit alacritas ad ea propugnanda, et ad implorandam Christianissimi Regis opem, ut regia, qua pollet auctoritate et potestate, Arrestum illud jubeat aboleri. Quod quidem justitiæ amantissimum, fideique in servandis pactionibus tenacissimum Principem facturum esse confidimus.

Memoria Archiepiscopi revocat concordata Germaniæ a quibus jura S. Sedis derivant quoad beneficia Ecclesiastica in Comitatu Burgundia.

§. 2. Neque enim cuiquam dubium esse potest, Burgundiæ comitatum Concordati germanici legibus usque eo fuisse adstrictum, dum gl. me: Christianissimus Rex Ludovicus XIV. capta ex Novioma-gensi foedere Comitatus illius possessione, suffragantibus sibi plurimis in catholicam Religionem et immortalibus meritis a prædecessore Nostro fel. rec. Innocentio XI. impetravit, ut sibi suisque successoribus deinceps jus esset nominandi ad beneficia consistorialia et Monasteria etiam Regularia, quæ in eo sunt comitatu, reservato tamen Apostolicæ sedi jure cætera beneficia, quæ collativa dicuntur, in mensibus Apostolicis vacatura libere conferendi. Quod quidem Indultum jam tum regiis ad Bisuntinam curiam literis munitum, et in actis ipsius curiæ relatum, et ad hanc usque diem sancte servatum nunc velle convellere, idem est ac exemplum statuere, quo omnium, quæ publice acta sint et omni munimine roborata, omnis in posterum nutet fides. Et delectioni tuæ omni paternæ Nostræ caritatis affectu Apostolicam benedictionem permanenter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Major. sub annulo Piscat. die vigesima nona Octobris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.



DLXVI.

Cunctis per catholicum Orbem Archiepiscopis, Episcopis cæterisque diocesium Rectoribus encyclicam mittit, ut creditum sibi ipsis dominicum gregem a noxiorum librorum lectione avertant.

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Christianæ reipublicæ salus, cujus causam a Principe pastorum, et Episcopo animarum accepimus, vigiles Nos esse compellit, ne insolens, et terribissima librorum licentia, quæ e latebris ad exitium, et vastitatem emersit, eo fiat perniciosior, quo se in dies efferendo sit latior. Execrabilis erroris perversitas, et inimicorum hominum audacia in medio tritici, qua scripto, qua verbo superseminans zizania, his præsertim temporibus adeo excrevit, ut nisi falcem ad radicem immittamus, et alligemus mala germina in fasciculos ad comburendum, parum absit, quin spinæ pravitatis exortæ plantationem Domini Sabaoth suffocare aggrediantur. Perditi enim homines ad fabulas conversi, et sanam doctrinam non sustinentes, quaquaversum invadunt arcem Sion, et per pestiferam contagionem librorum, quibus fere obruimur, in christianæ plebis interitum serpentina venena pectoribus evomunt, illimes credendi fontes corrumpunt, et Religionis fundamenta convellunt. Abominabiles facti in studiis suis, sedentesque in insidiis clam e pharetra jacula educunt, quibus in obscuro sagittent rectos corde. Quod est tam Divinum, tam Sanctum, et vetustissima omnium temporum Religione consecratum, a quo impias continuerint mentes, et in quo oppugnando linguas suas tamquam gladium non exacuerint? Currerunt primum adversus Deum erecto collo, et armati pingui cervice contra omnipotentem roborati sunt. Impiorum deliramenta toties fracta e cineribus excitantes, Deum ubique prædicantem, et quotidie in oculos incurrentem dene-

Dat. die 25. Novemb. 1766. Anno IX.

Quanta sint claustra futura dominico gregi ex novis libris Pontifex designat.



gant, non ex obtusa ingenii acie, sed solo depravatæ voluntatis consilio; vel Deum ipsum desidem, et otiosum effingunt, cujus nec providentiam colant, nec justitiam vereantur. Animæ vero nostræ originem, et naturam ad imaginem supremi Conditoris creatam, et paulominus ab Angelis minoratam, fœda prorsus, et vesana opinandi licentia mortalem prædicant. Materiam sive creatam senserint, sive æternam, et nulli causarum obnoxiam somniaverint, nihil tamen præter illam in hac rerum universitate arbitrantur; vel coacti fateri spiritum cum materia existere, animam tamen ab hac cœlesti conditione deturbant; nolentes intelligere, in hac ipsa, qua compacti sumus imbecillitate, spiritale quiddam, et incorruptum inesse, cujus vi sapimus, agimus, volumus, quo et futura providemus, et intuemur præsentia, et præterita recordamur. Alii vero, etsi probe sentiant, abigendam esse procul terrenarum caliginem rationum, et ab illuminatæ Fidei oculo depellendum mundanæ sapientiæ fumum; recondita tamen Fidei Mystera, quæ exuperant omnem sensum, humanis audent examinare ponderibus, et scrutatores facti majestatis, opprimi non verentur a gloria. Irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quæstiones de altissimis rebus temere ventilantur; omnia sibi usurpat audax inquirentis ingenium, omnia scrutatur, fidei nihil reservans, et eidem detrahit meritum, dum in humana ratione quærit experimentum. Nonne iis etiam necesse est indignari, qui turpissima et rerum, et verborum obscenitate severos, et pudicos mores per summum scelus corrumpunt, execrabilem vivendi licentiam suadent mentibus incautorum, et pietati extrema inferunt dispendia? Quid? quod scripta sua conquisito quodam nitore, et blanda orationis festivitate, ac lenocinio inspergunt, ut quo facilius legentium animos pervaserint, eo altius veneno erroris inficiant. Sic imprudentibus fel draconis in calice Babylonis propinant, qui suavitate sermonis illecti, et obcæcati, toxicum, quo pereunt, non agnoscunt. Quis demum acerbissimo non conficiatur mœrore, cum viderit infensissimos hostes, prætergressos quoscumque modestiæ, ac debiti obsequii fines, editis, nunc certo, nunc eumentito prælio, contumeliosis libris, irruere in ipsam Petri sedem, quam Redemptor fortis Jacob posuit in columnam ferream, et in murum æneum adversus principes

tenebrarum; hoc perditio fortasse adducti consilio, ut, ubi caput affligerint, liberius Ecclesiæ membra discerpant.

§. 2. Itaque, Venerabiles fratres, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, et de singulari sacramento humanæ salutis edocuit, non possumus in tanta librorum depravatione, quin, quod Nostrarum est partium, studia devotionis vestræ excitemus, ut, qui in partem Pastoralis sollicitudinis vocati estis, in idem majori quo potestis conatu conspiretis. Pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies; nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant. Dispensatores facti mysteriorum Dei, et armati illius potentia ad destructionem munitionum, sagitate, ut creditæ vobis oves, Christi sanguine redemptæ a venenatis hisce pascuis arceantur. Si enim necesse est a malorum hominum societate discedere, quod verba eorum multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; quam vastitatem pestilentia efficiet librorum, qui apte compositi, et artificii pleni, manent perpetuo, et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quæ imbrobo, et occulto auctori aditus non pateret? Constituti ministri Christi in gentibus, ut sanctificetis Evangelium suum, perficite, laborate, et quantum in vobis est, opere, et sermone succidite fallaciæ stirpes, corruptos vitiorum fontes obstruite, insonate buccina, ne pereuntes animæ de manu speculatoris requirantur. Agite pro loco, quem tenetis; pro dignitate, qua insigniti estis; pro potestate, quam a Domino accepistis. Præterea cum nemo possit, ac debeat ab hujus tristitiæ participatione scerni, et in tanto fidei, et religionis discrimine una omnibus dolendi, una juvandi communis sit ratio; avitam catholicorum Principum pietatem, ubi res postulat, implorate; gementis Ecclesiæ causam exponite; et amantissimos ejus filios, de illa tot nominibus egregie semper promeritos, ad opem ferendam excitate; ut, quoniam non sine causa gladium portant, conjuncta Sacerdotii, et Imperii auctoritate, perditos homines contra phalanges Israel pugnantes strenue compescant, et eliminent. Ad vos, Venerabiles fratres, potissimum pertinet stare pro muro, ne fundamentum

Ad tam dira mala evellenda futuraque impedienda cunctorum Antistitum auxilium implorat.

aliud ponatur præter id, quod positum est, et tueri sanctissimum Fidei depositum, cujus custodiæ in solemnî inauguratione sacramento vos addixistis. Detegantur fidei populo vulpes, quæ vineam Domini demoliuntur; moneatur, ne capi se sinat splendidis certorum auctorum nominibus, ne circumferatur nequitia, et astutia hominum ad circumventionem erroris; unoque verbo, libros excreetur, in quibus aliquid resideat, quod lectorem offendat, Fidei, Religioni, bonisque moribus adverteatur, et christianam non sapiat honestatem. In quo quidem plerisque vestrum intimo gaudio gratulamur, quod Apostolicis inhærentes institutis, et Ecclesiasticarum legum strenui vindices omnia studia sua in hac avertenda peste fortes, vigilesque contulerint, nec siverint simplices tuto dormire cum serpentibus. Nos certe, qui sollicitudine omnium ecclesiarum, et salutis Populi christiani angimur, et distinemur, nulli parcentes labori, vestro etiam in tam gravi periculo adjuvari pollicemur. Deum interim in humilitate cordis Nostri rogare non desinemus, ut det vobis auxilium de sancto ad declinandam insidiantium hostium calliditatem, et ministerii vestri partes cumulate implendas; et in optati eventus auspiciem vobis, et gregi vestro Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxv. Novembris Anni MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

## DLXVII.

Quod in Gallia instituat Regularium reformatio quaeritur cum Rhemensi Archiepiscopo, inconsulta Apostolica Sede, cujus semper primaria partes fuere in istis negociis.

Venerabili fratri Carolo Antonio  
Archiepiscopo Rhemensi

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Iterum, qui tuus est erga Nos gratus animus, scribis, gratias Nobis agens, quod, quem expetebas, tibi constituerimus Coadjutorem, eique  
*Bull. Rom. Tom. III.*

partem remiserimus expensarum: quo gratiarum officio liberale ingenium tuum facile recognovimus. Deinde ejus dotes rursus Nobis commemoras, quas oportet esse præclaras, cum ad ejus laudes in his quoque proximis tuis ad Nos literis redeas, tibi que vehementer placere videaris, quod opera tua sit in posterum Rhemensi Ecclesiæ consultum. Quod gravissimum testimonium tuum et maximum incredibilem Nobis attulit consolationem; cum luctuosi hisce temporibus nullum ægrotis Ecclesiæ Vestræ rebus possit remedium adhiberi validius, quam in cathedralibus ecclesiis egregios constitui viros, qui incorrupta doctrina, et vitæ sanctitate præditi, Deique zelo flagrantes Christiani gregis sibi comissi sedulos vigilantes fidelesque se præbeant Pastores. Itaque Ven. frater, nihil potuisti facere præstabilius, quam dare operam, talis ut vir, qualem Nobis narras, non tum ætate quam omni laude florens tibi Coadjutor daretur in nobilissima Sede, in qua suo tempore illum in Domino confidimus animi bona, quæ a natura accepit et gratia, in publicam Ecclesiæ Gallicanæ utilitatem explicaturum. Quæ scribis de tua in S. Ecclesiam pietate et devotione, de eo quo sacram hanc beatissimi. Petri Sedem colis obsequis, de tua tutandorum Apostolicæ Sedis juriurum et prerogativarum sollicita cura, nihil ad egregii Antistitis exemplar expressis.

§. 2. Ad optimam hanc voluntatem tuam accedit mira tractandarum rerum dexteritas et prudentia; quæ virtutes tuæ cum auctoritate, quam plurimum petes, non medioerem quidem spem Nobis afferrent negotium de Regularibus in isto Regno reformandis bonum exitum habiturum. Illud vero Nobis spem omnium maximam faceret quod carissimus in Christo filius Noster christianissimus Rex Religionis amantissimus, et in S. Ecclesiam præclare animatus ad id negotium curas contulit suas. Sed ut se dederant initia, verendam est maxime, ne videatur esse optimi Principis circumventat Religio. Superioribus temporibus, ubi compertum est Regulares Ordines eo usque consenuisse, ut jam Regularis observantia in iis omnino extingueretur, ad Romanum Pontificem primas de tanto malo querelas esse delatas, profecto fraternitas tua non ignorat, qui in ipsis ad Nos literis tuis commemoras, quæ fuerit in Galliæ Regno reformandorum Regularium Ordinum ratio.

Multum in reformatione Regularium sibi Pontifex promittit ex Archiepiscopi religione, doctrina, et dexterritate.

Dat. die 24.  
Decemb. 1766.  
Anno IX.

Do Coadjutore  
ad Archiepiscopi  
preces eidem  
indulto agit  
Pontifex.

Dolet quod a multis mensibus de reformatione agatur, inconsulta omnino Apostolica Sede.

§. 3. Nunc vero temporis tantum ab ea ratione declinatum est, ut ad Nos de prolapsa Religiosorum Ordinum disciplina, non alia, quam ad privatum quemque notitia pervenerit; reformationis studiosi alio quam ad Apostolicam Sedem respexerint, Nobis non modo inconsultis, sed plane insciis institui coepta sit reformatio; nec super ea isthic quæ gerantur, et per plures menses quæ gesta sint, eorum nihil adhuc a Vobis perlatum sit ad Apostolicam Sedem; nullæ denique in hac re adhuc nostræ sint partes, quæ esse debuerant primæ. Quæ quidem omnia spem nostram merito positam in christianissimi Regis summo erga Religionem studio, et in hanc S. Sedem observantia, et in Vestrorum quoque fratrum egregia pietate, et fide, quibus demandatum est reformationis negotium, vehementer debilitant et infringunt; magnumque Nobis injecere metum, ne qui per laicorum mentes haud ita pridem se insudit, in hanc quoque rem spiritus quidam re insinuaverit, quo sæcularis potestas jure sibi recuperatum existimat quidquid de Apostolicæ Sedis auctoritate et Ecclesiæ potestate et jurisdictione detraxerit. Non dubitamus, quia satis perspecta Nobis sapientia tua cognoscat hunc, quo non mediocriter commovemur, non inanem omnino esse metum; tuusque erga Nos amor Nostrarum fiat particeps molestiarum, quas Nobis affert tam nulla in hoc negotio habita usque ad hanc diem Apostolicæ Sedis ratio.

Hortator ut Christianissimi Regis provocet religionem, atque auctoritatem in tam gravi negotio.

§. 4. Quamobrem, Ven. frater, te tuosque Collegas, quos in hac re commites habes et socios, in Domino majorem in modum obsecramus et obtestamur. Christianissimo Regi seduli et fideles adeste. De illius in Religionem studio et amore, et erga Ecclesiam, cujus gloriatur esse primogenitus filius, nunquam tacitopere prædicaveris, Ven. frater, quia id superest firmissima Nostra opinio de ejus optima in eandem Religionem sanctamque Matrem suam voluntate. Sed magnum, qui tibi est, rerum usum docuisse fraternitatem tuam oportet, sæpe factum esse, ut maximi et sapientissimi Reges tot tantisque negotiis distenti, multis etiam hominibus circumsessi, quorum diversa sunt vel studia, vel voluntates, vel diversa de rebus cogitandi et judicandi ratio, doluerint denique, aliter exisse sibi negotia, quam ipsi instituerint a principio. Illud vero præcipue caveatis oportet, ne in iis, quæ nostræ sint pote-

statis, ab iis, quæ vel ad regiam vel ad vestram potestatem pertinent, secerendis, quidquam videatur esse Nobis ademptum, de quo Nostræ sit auctoritatis constituere aut judicare. Et ex quidem Nos ipsos ante jam secrevisse, non dubitamus, quin probe cognoscas multo futurum convenientius fuisse multoque elegantius.

§. 5. Sed quoniam ita fert horum conditio temporum, videte, quæsumus, ne Apostolicam Sedem neglectam esse dolere debeamus, et conqueri. Atque illud in primis vel vos admonemus, vel vobis summo opere commendamus; in cujusque Regularis Ordinis legibus et institutis ne quid moveatur; id enim cum eo, quod huic Apostolicæ Sedi debetur obsequio minime conveniret; nec exolescentis Regularis disciplinæ malo remedii quidquam afferret; nulla enim corpora ab interitu retrahi aliter possunt, quam ea ad suum quæque revocando principium; nec præterea Regulares in servanda disciplina retineri alia potestate, quamquam quæ eorum ordinibus Regulas constituit, usque tribuit statum quæque una potest devios reducere ad rectam viam, unde deflexerint, eosque efficaciter coercere. Denique ut in eo, quod omnium maxime Nostra interest, scribendi finem faciamus; videte Tu et Collegæ tui ne qua fiat Nobis inconsultis et sine Nostra approbatione præeunte in Religiosorum Regularibus immutatio. Hæc tibi, Ven. frater, paullo fusius scripsimus et uberius, mœroremque Nostrum in tuo deposuimus sinu, ut intelligas persuasissimum Nobis esse, Apostolicam Sedem abs te amari et coli, idque tibi ispe vicissim persuadens, Nos plurimum fraternitati Tuæ tribuere, eam magno facere, in ea denique multum fiduciæ Nostræ posuisse. Et valde quidem animi Nostræ ægritudinem lenit, quod gravissimum hoc negotium ad tuas piissimorumque antistitum Collegarum tuorum pervenerit manus, quos non dubitamus pro ea, quam præstatis, Religione, Sapientia, et in Apostolicam Sedem reverentia et obsequio, id summo studio curaturos, ut Ecclesiæ bono et communi Regularium Ordinum utilitati et Romanæ Sedis auctoritati, et dignitati satis providisse videamus. Cujus egregiæ laudis te, Ven. frater, eo magis participem fore confidimus, quod ad tuam pietatem Religionem, et de Ecclesia bene mendi voluntatem (quas virtutes nunc maxime fraternitati tuæ datur exhibendi copia) etiam ex ea, qua vales pluri-

Admonet ut in reformatione ita regularia instituta servantur ex eorum eversione injuria infertur Apostolicæ Sedi.

num apud christianissimum Regem gratia, et ex eo, quem in hoc negotio primum obtines loco, magna tibi oritur auctoritatis accessio. Et fraternitati tuæ quam in Nostræ charitatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesimaquarta Decembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno nono.

## DLXVIII.

Dat. die 5.  
Januar. 1767.  
Ann. IX.

Decem conventus, et quatuor monasteria monialium, nec non collegium ordinis Sancti Francisci de observantia in provinciam Mantuanam eriguntur.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. **A**d regularis disciplinæ observantiam in iis præsertim religiosorum virorum ordinibus, in quibus juxta primævam institutionem, benedicente domino, illa viget, retinendam, conservandam, ad augendamque, quantum conferat non modo minorum, majorumque superiorum præsentia; verum etiam provinciarum prudentissima excogitata divisio diuturni temporis, rerumque experientia tam Romani Pontifices prædecessores Nostri, quam ipsi regularium ordinum rectores apprime edocti, ideo eorumdem superiorum supplicationibus moti curarunt, ac voluerunt, ut cum conventus, et monasteria ejusdem ordinis multiplicari, et crescere perspexissent, alia invicem unita ab aliis simul junctis separata, et si omnia, et singula sub uno generali capite posita, diversis tamen provinciarum rectoribus habita ratione gubernarentur.

Exponuntur incommoda obvenientia ex actuali divisione Conventuum de quibus agitur.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, intra fines Ducatus Mantuæ, vel non longe procul, plures conventus existant ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, qui vel ad provinciam Venetiarum S. Antonii nuncupatam, vel ad alias provincias Brixien. et Bononien. ejusdem ordinis modo pertineant, et in eis adscripti sunt, atque in conventibus hujusmodi nonnulla incommoda, quæ regulari observantiæ forsitan officere possunt et præjudicium recto ordini studiorum sensim inferre, quæ sane omnia, ut Nobis ex-

positum fuit, cessarent, quoties conventus prædicti a provinciis, in quibus modo consistunt, dividerentur atque ex eis una erigeretur nova provincia; quæ magis provide, ac opportune a propriis suis superioribus regi, ac gubernari valeret, et cum dilectissima in Christo filia Nostra Maria Theresia Ungariæ Regina, Apostolica pro sua erga religiosos ordines benevolentia, et singulari pietate suas ad id preces obtulerit.

§. 3. Hinc est, quod nos pio ejusdem Mariæ Theresiæ Reginiæ desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter obsecundare, simulque feliciori eorumdem conventuum statui, prosperoque illorum regimini, et progressui prospicere cupientes, ac dilectorum filiorum Guardianorum, aliorumque fratrum conventuum hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, audita super his relatione dilecti filii Nostri Aloisii Mariæ S.R.E. Diaconi Cardinalis Torrigiani nuncupati apud nos, et hanc sanctam Sedem ejusdem ordinis protectoris, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine infra expressos conventus dicti ordinis, nempe S. Francisci Civitatis Mantuæ, et S. Mariæ Gratiarum prope dictam civitatem, nec non S. Rochi loci della Volta nuncupati, S. Sebastiani de Sancto Martino in loco dell'Alpine pariter nuncupato, ac S. Mariæ Angelorum Ostiliæ a dicta provincia Venetiarum, nec non conventus S. Gaudentij de Ostiano, et S. Mariæ Castillonis ab alia provincia Brixien. ordinis hujusmodi, in super conventus S. Francisci de Viadana, et S. Angeli, ac alterum S. Lucæ civitatis Cremonen. a provincia Bononien. præfati ordinis apostolica auctoritate tenore præsentium dividimus, segregamus, et separamus, eosque una cum monasteriis, monialium ordinis hujusmodi Corporis scilicet Christi, S. Josephi, et S. Lucæ, ac S. Elisabeth, nec non cum collegio S. Ludovici insimul unimus, atque conjungimus, eosque in novam Provinciam ejusdem ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum Mantuanam nuncupandam, motu, auctoritate, et scientia simili erigimus, et instituimus.

Præfatus annuens Pontifex, ad novam Mantuanam Provinciam erectionem devenit.

§. 4. Dictæque provinciæ per Nos Novæ erecta Provinciam sta-

tuatur regulæ quibus moderari in posterum debeat.

sic, ut præferatur, erectæ, ut Capitula provincialia pro ministri provincialis, custodis, et definitorum, aliorumque officialium ipsius provinciæ electionem, ac Congregationes, aliosque congressus ad instar aliarum provinciarum ordinis hujusmodi celebrare, ac omnibus, et singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, et indultis; quibus aliæ ejusdem ordinis provinciæ tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pariformiter, et absque ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possit, et valeat auctoritate, potestate tenore præsentium concedimus, et indulgemus,

In nova Provincia studium generale erigitur.

§. 5. Ac insuper in dicta Mantuana civitate generale studium pro ejusdem ordinis alumniis, quod modo secundæ tantum classis, ut vocant, ibidem reperitur, in generale studium primæ classis cum omnibus, et singulis juri- bus, prærogativis, et privilegiis, aliis studiis generalibus primæ classis provinciarum ejusdem ordinis quomodolibet concessis, ac competentibus dicta auctoritate erigimus, et constituimus.

Novæ Provincie Moderatores, Provinciales usque ad futura Comititia deputantur.

§. 6. Demum felici, prosperoque ejusdem novæ provinciæ sic erectæ regimini, et gubernio consulere cupientes, et de infrascriptorum Ordinis et provinciæ hujusmodi professorum fide, prudentia, charitate, vigilantia, et religionis zelo plurimum in domino confisi dilectos filios Angelum Mariam a Casali Majore lectorem jubilatum in Ministrum provincialem, Joannem Paulum a Mantua lectorem jubilatum in custodem, ac sequentes lectores pariter jubilatos, videlicet Joannem Baptistam a Cogozzo in primum, Alexandrum a Cremona in secundum, Bartholomæum Aloysium a Castilione in tertium, et Dionysium Antonium a Mantua lectorem theologum in quartum: Definitores provinciales dictæ provinciæ respective ad tempus, quo ejusmodi Officia juxta regularia Ordinis prædicti instituta per Sedem apostolicam confirmata durare consueverant a die quo præsentis Nostræ literæ debitæ executioni demandatæ fuerint computan. cum omnibus, et singulis privilegiis, præeminentiis, auctoritate, facultatibus, gratiis, et indultis, ac honoribus, et oneribus solitis, et consuetis, auctoritate, et tenore præsentis constituimus, et deputamus.

Præsentium Literarum observantia iungitur.

§. 7. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio nostro

imponendis pœnis omnibus, et singulis memoratorum conventuum, et monasteriorum per nos in provinciam erectorum superioribus, fratribus, et personis, cæterisque, ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut supranominatos fratres ad officia eis respective per præsentem demandata, juxta earumdem præsentium tenorem recipiant, et admittant, eosque recognoscant, et in illis omnibus officia hujusmodi concurrentibus respective pareant, et obediant, faveantque, et assistant.

§. 8. Ac decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere legatos, et Apostolicæ Sedis Nuncios sublata eis, et eorum cuiuslibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, provinciarum, et conventuum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die v. Januarii MDGCLXVII, Pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.



DLXIX.

Dat. die 10.  
Januar. 1767.  
Ann. IX.

Nationalitas provinciarum Romanæ, Sabinensis, Campaniæ, et exterorum ordinis minorum S. Francisci reformatorum aboletur pro Conventibus, et Recessibus in iisdem provinciis existentibus.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proomium.

§. 1. Romanus Pontifex militantis ecclesiæ regimini per inscrutabilem divinæ sapientiæ providentiam præpositus inter gravissimas apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari studio jugiter incumbit, ut religiosi viri, qui semetipsos abnegantes sub strictioribus regularis disciplinæ legibus altissimo famulantur, faustiori quotidie in dies opportuni regiminis beneficio dirigantur, et sub suavi religionis jugo divini numinis obsequiis insistentes felicioribus magis magisque proficiant incrementis.

Refertur dis-  
sentiones deri-  
vantes ex Na-  
tionalitate di-  
versarum Pro-  
vinciarum, de  
quibus in ru-  
brica.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Guardianus, et Discreti conventus, sive recessus Sancti Bonaventuræ ordinis minorum S. Francisci reformatorum nuncup. hujus almæ nostræ Urbis, quod licet juxta conventuum, seu recessuum hujusmodi constitutiones, et statuta apostolica auctoritate confirmata provide cautum fuerit, ne sub mentis pietatis, et zeli colore factionum mala, et noxiæ partium divisiones inducantur; atque insuper fel. record. Benedictus XIV. prædecessor Noster per alias suas in simili forma brevis die xxiv. Martii MDCCLI. expeditas literas fratribus hujusmodi conventuum, seu recessuum mandaverit, ne a spiritus Sathanæ adducti munera, dignitates, et honores quærerent, unde causæ, et occasiones ad seditiones concitandas, inordinationes inducendas, et odia alenda exoriri solent. Nihilominus aliqui ex fratribus hujusmodi conventuum, seu recessuum parum experientia edocti, neque zelo secundum prudentiam præditi pro varietate quatuor nationum, nempe Romanorum, Sabinensium, provinciæ Campaniæ, et exterorum divisiones officiorum, munerum, et graduum, et inter eos electionem, seu deputationem alternative faciendam inducere tentarunt quamvis sex tantum modo conventus, seu recessus hujusmodi reperiantur, et

in illis pauci respective habeantur fratres, quorum numerus minime satis sit, ut in unoquoque conventu ex fratribus de eorundem familia Discreti pro numero prædictarum nationum eligi possint. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes hujusmodi nationum, ac partium divisionem, et factionis spiritum procul a fratribus omnibus eorundem conventuum seu recessuum amovere, ac eorum statuta, et constitutiones prædictas inviolabiliter ab omnibus perpetuo observandas esse plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eorundem exponentium votis favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; prædictam divisionem nationum Romanorum scilicet, Sabinensium, provinciæ Campaniæ, ac exterorum in eligendis, deputandisque Superioribus, Discretis, aliisque fratribus de familia conventuum, seu recessuum hujusmodi sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio Nostro imponendis pœnis auctoritate apostolica, tenore præsentium interdicimus, et prohibemus, eosdemque Superiores, Discretos, ac alios de familia conventuum, seu recessuum prædictorum, nulla habita quarumcumque nationum distinctione, sed tanquam eodem charitatis vinculo unitos, ac unam, eandemque vivendi regulam profitentes, juxta constitutiones, et statuta conventuum, seu recessuum hujusmodi perpetuo eligendos, ac deputandos esse auctoritate, et tenore prædictis volumus, statuimus, et mandamus.

Pontifex tales  
Nationalitates  
extinguit pro  
deputatione  
Superiorum  
aliorumque de  
familia.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apo-

Clausula su-  
blata, et decre-  
tum irritum.

stolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die x. Januarii MDCCLXVII Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXX.

Dat. die 17.  
Januar. 1767.  
Ann. IX.

Pontifex Coloniensi Archiepiscopo significat se causam Vicariorum Repensium noluisse avocare a sacra Congregatione Concilii, cujus iudicium confidender expectare debet.

Venerabili fratri Maximiliano Archiepiscopo Coloniensi S. R. I. Principi Electori.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

Cur causa de qua sermo est fuerit dilata hic enunciat.

§. 1. De causa Vicariorum Repensium, qui contra quædam Archiepiscopalis curiæ tuæ decreta appellarunt ad hanc Apostolicam Sedem, comperimus eandem causam a Pro-Uditore Nostro remissam ad congregationem Tridentinæ Synodi, interpretem crebris promotoris ejusdem curiæ exceptionibus dilatoriis nimio diutius esse protractam. Cumque die nona proxime elapsi mensis Augusti ea causa proposita fuerit novam memorato Promotore delationem postulante, congregationem, quam diximus, rescripsisse = *Dilata*; *suspensa interim executione Decretorum* =.

Quod rescriptum cum Tibi minime consonum regulis videatur, atque etiam suspicans minus Tibi æquam esse congregationem, postulasti per literas ad Nos datas die xxx. ejusdem mensis Augusti, ut eam causam ad Nos advocemus, eamque ipsi Nos Judices dirimamus. Verum illud congregationis rescriptum non videtur improbandum. Illo enim tamquam stimulo uti voluit congregatio ad tergiversantem curiæ Tuæ Promotorem denique impellendum promovendumque, ut rationes demum afferat suas, nec amplius procrastinandi prætextus et causas consecetur. Sed tamen cum fraternitas Tua Nobis affirmet, omnes per integrum biennium illis decretis pacate paruisse, placuit Nobis clausulam rescripti, quæ decreta illa suspendit revocare, ita ut eandem vim et executionem, quam usque adhuc obtinuerunt, obtineant, donec congregatio iudicium ferat in hac causa; quæ ut Nobis persuasissimum est, sine ulla mora proponetur.

§. 2. Hanc vero idcirco nolimus ad Nos advocare, quod minime Nobis dubium sit congregationem justitiæ et æquitatis rationem omnem esse habituram, et suum cui partium, quæ illum in hac causa iudicem recognoverunt, jus redditurum. Nec dubitamus itidem, quin fraternitas Tua, quisquis causæ fuit exitus, pro tua erga Nos reverentia, et obsequio, quod usque ad hanc diem, etiam quod de te benemereri stadiimus, Nobis præstitisti, omnem datam sit operam, ut congregationis sententia omnem consequatur executionem. Tibi venerabilis frater, quem in visceribus gerimus charitatis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris diæ xvii. Januarii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno IX.

Noluisse causam avocare Pontifex significat, justitiæ Sacre Congregationis Concilii satis conscius.

DLXXI.

Dat. die 22.  
Januar. 1767.  
Anno IX.

Bini conventus Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum ab Provincia Sabaudicæ dismembrantur, illique Provinciæ Helveticæ perpetuo uniuntur.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt venerabilis frater Franciscus Fridericus

Exponatur incriminanda de rivantia ex bi-

norum Con-  
ventuum ac ua-  
li aggregatione  
Provinciae Sa-  
baudiae.

Episcopus Sedunensis, ac dilecti filii Consul, et Senatus ejusdem civitatis Sedunensis, quod in Provincia Vallesiae duo extant conventus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, unus scilicet in ipsa civitate Sedunensi, alter vero in Oppido Agaunensi, sei Sancti Mauritiij; verum quia hujusmodi conventus sunt in Provincia Sabaudiae ejusdem Ordinis inde evenire solet, ut Fratres, qui in dictis Conventibus morantur, plerumque a Sabaudia vocati minime calleant germanicam linguam, qua in regionibus Vallesiae plerumque habitatores utuntur, et septemdecim circiter fratres dicti Ordinis, qui modo extant Regionum hujusmodi in aliis Conventibus Provinciae Sabaudiae praedictae moram faciunt.

Quum multa  
exurgant  
utilitates ex  
dictorum Con-  
ventuum ag-  
gregatione Pro-  
vinciae Helveti-  
cae, hinc pre-  
ces ad hunc fi-  
nem porrectae.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjugebat, in spirituale bonum animarum omnium habitantium in locis hujusmodi dubio procul cesurum foret, si in dictis conventibus fratres ex eadem Vallesia, vel locis ei finitimis, non autem ex Sabaudia evocati ad obeundas functiones sacras, et ordinis, ac professionis suae munera explenda collocarentur, quippe qui tam in praedicatione verbi Dei, quam in confessionibus excipiendis propter linguae ejusdem Regionis peritiam maximam animabus indigenorum hujusmodi locorum afferrent utilitatem, eosque rudimentis Fidei facile erudire valerent, et id non aliter dicti exponentes fieri posse autumantes, quam ope dismembrationis, ac segregationis dictorum duorum conventuum Sedunensis, et Agaunensis, seu Sancti Mauritiij a memorata Provincia Sabaudiae Ordinis hujusmodi, eorumque unionis et annexionis cum Provincia Helvetica dicti Ordinis, propterea desuper consensum requisiverunt dilectorum filiorum Definitorii Provincialis praefatae Provinciae Helveticae, eoque hujusmodi unioni, et annexioni die XII. Octobris superioris anni ab ipsis praestito sub nonnullis conditionibus, pactis, et conventionibus receptis subinde, et approbatis tam a dictis exponentibus, ac etiam a dilectis filiis Decano, et Capitulo Ecclesiae cathedralis Sedunensis, quam a Definitorio Generali ejusdem Ordinis, ac alias prout ex actis hujusmodi approbationum di XV. Octobris, ac respective XV. Decembris superioris anni expletarum, quorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressum, ac de verbo ad verbum insertum haberi volumus, uberius continetur, Nobis

*Bull. Rom. Tom. III.*

ipsi exponentes supplicari fecerunt pro supradicta separatione, et segregatione dictorum duorum conventuum a provincia praefata Sabaudiae, et eorum respective unione, ac annexione cum provincia Helvetica dictis Ordinis, et ut in praemissis providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignarentur.

§. 3. Nos igitur piis dictorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati supradictos duos conventus Sedunense scilicet, et Agaunense, seu Sancti Mauritiij Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum a Provincia Sabaudiae, dicti Ordinis auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo segregamus, et separamus, illosque sic separatos, et segregatos Provinciae Helveticae ejusdem Ordinis unimus, et annectimus; his vero Fratribus, qui ex regione Vallesiae oriundi habitum Religionis susceperunt in memorata Provincia Sabaudiae vel in ea remanendi, vel ad aliam Provinciam Helveticam dicti Ordinis transeundi semel tantum eligendi facultatem auctoritate, et tenore praesentis tribuimus, et impertimur ac posteaquam ad Helveticam Provinciam praedictam, quoties id eligant, petransierint, omnibus juribus, praerogativis, et honoribus, quibus alii ejusdem Ordinis, et Provinciae Helveticae Fratres utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, uti, frui, potiri, et gaudere posse, ac debere auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et indulgemus.

Pontifex pre-  
cibus annuit,  
et Segregationem, respec-  
tivamque  
unionem, sub  
peculiaribus  
legibus appro-  
bat.

§. 4. Decerentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios judicari, et defini-

Clausula sub-  
lata, et de-  
cretum irri-  
tans.

ri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non ordinis, et Provinciarum, ac Conventuum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressi, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima secunda Januarii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.



DLXXII.

Dat. die 31.  
Januar. 1767  
Ann. IX.

Cum Maria Theresia Hungariæ Regina, et Imperatrice electa, queritur quod a censura librorum in dictione Mediolanensi excudendorum amoverit Mediolanensem Arch. et Inquisitorem Generalem.

*Quæ ad avertendam perniciosorum librorum lecturam egerit Pontifex hic præter peculiare horum proscriptio- nes jam a nobis relatas in hac continuatione, videnda sunt in Encycli- ca ad universi catholici Orbis Antistites directa, die 25 Nov. 1766, quæ adest hoc Tom. III. sub Num. DLXVI pag. 225.*

Carissimæ in Christo Filix Nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ Regiæ Apostolicæ, nec non Bohemiæ Regiæ Ill. in Romanorum Imperatricem electæ Viduæ.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo filia Nostra salutem, et Apostolicam benedictionem

§. 1. **E**x multis gravissimisque curis, quæ ab ipso die cum Nobis impositum fuit Apostolici muneris onus, animum nostrum urunt assidue, illa nunc temporis omnium acerrima Nos urget sollicitudo ex teterrimorum librorum fœda colluvie qua Europam propemodum universam inundavit impietas; unde nulla est christianæ Religionis clades et vastitas non pertimescenda. Adversus nefarios impiorum hominum conatus, qui cum eadem Religione non jam per cuniculos, sed propalam et aperte nunc horrificum bellum gerunt. Episcopos universæ catholicæ Ecclesiæ ante hos duos menses per epistolam Nostram excitavimus eosque vehementer adhortati sumus, ut a suis quisque Diocesis nefarios et flagitiosos libros prohibeant, et si qui forte illuc irresperint, fideles Christi ab eorum lectione obsterreant. Quæ Nostra epistola futurum in Domino confidimus, ut Dei gratia adjutricem, Episcopalem eorum zelum commoveat, cum videamus ex ejus lectione Regiæ Majestatis tuæ Religionem exarsisse ad avertendam a regionibus tuæ dictionis tantam perniciem non satis omnibus honorum omnium lacrimis deplorandam.

Quanta cura studuerit Pontifex ut noxiam Librorum lecturam prohiberet.

§. 2. Sed veremur, ut flagrantissi- Dolet de recentis Decreto

pro Mediolanensi Ducatu edito quoad imprimendorum, et introducentium librorum censuram.

mo quo incenderis christianæ Religionis et catholicæ Fidei conservandæ studio Administris et Consiliarii tui carissima in Christo filia Nostra, viam illam comonstrent, quæ ducit ad religiosissima tua perficienda consilia. Legimus scriptum a Regiæ Majestatis tuæ Administris, dilecto filio Nostro Cardinali Puteobonello, Archiepiscopo Mediolanensi, et illius civitatis Inquisitori tradito; in quo scripto ratio, et veluti, quædam forma describitur, qua libri censuræ sint subijciendi et in Mediolanensem Ducatum introducendi. De quo scripto, quid ipsi sentiamus, libere et illo animi candore, qui Nobis est proprius, et quo nunc maxime debemus uti, cum de re agitur omnium gravissima, Regiæ Majestati Tuæ esponemus. Urget enim Nos paternæ erga Te, carissima in Christo filia Nostra, vis charitatis, tuæque studium gloriæ; urget de integritate Fidei, animarumque æterna salute sollicitudo; urget Nos denique charitas Christi, ut in hac re nihil prorsus dissimulemus.

Cujus Decreti maximum fuit gravamen, laicam potestatem in Judicem censuræ erigere, maxime in materiis Ecclesiasticis.

§. 3. Itaque ne gravere, quæsumus, si libere Majestati tuæ dicamus, videri nobis maximum inde proventurum Religionis et Ducatus Mediolanensis publico bono detrimentum. Consideret enim Regia Majestas tua, examinandorum et imprimendorum librorum negotium Regia deputatio tradi, eorumque judicio et potestati totum permitti. Qui enim primas in hac re habent partes laici sunt: His facultas erit varia librorum genera alia ab aliis discernendi: Hi ad delegatos sive ecclesiasticos sive laicos censuram librorum injungent: Hi varias dissidentesque censorum sententias audient, ac de iis sententiis extremum et peremptorium ferent judicium: Hi denique, ut sibi visum fuerit, libros, qui censuram subierint, typis aut vulgari negabunt, aut excudi permittent; ac propterea deinceps in Ecclesia Dei penes laicos omnis erit de quocumque doctrina judicandi auctoritas et potestas. Quo quid absurdius? si nimirum de libris agatur, ubi doctrinæ tradantur, quæ vel ad christianam Religionem in universum, vel ad catholicam Fidem spectent, vel ad mores, vel ad rem canonicam, vel ad ecclesiasticam pertineant disciplinam. Id vero esset Ecclesiæ liberam, quæ usque ad hanc diem illi fuit in hac re potestatem adimere, et ut verius dicamus gravissimam sponsæ Christi facere injuriam, eique sacrum doctrinæ depositum, quod accepit a Christo Domino custodiendum eripere. Atqui cum Apostolis non cum magistratibus se-

*Bull. Rom. Tom. III.*

culi loquebatur Dominus Jesus cum dixit: *Qui vos audit, me audit.*

§. 4. Existimamus enim te, carissima in Christo filia Nostra, satis intelligere pro tua præstanti prudentia, nulla via, quam per typographiam longius latiusque manare doctrinas in vulgus, ac propterea in re typographica vigilantiam Ecclesiæ partem esse maximam illius custodiæ quam debet in servando Fidei deposito adhibere. Illud etiam maxime velimus Regia tua Majestas animadvertat, ubi examinandorum librorum qui prælo sint excudendi vel nihil vel parum Ecclesiæ relictum est loci, christianam Religionem et catholicam Fidem a teterrimis et flagitiosissimis libris accepisse maximam cladem. At enim, qui novam hanc examinandorum librorum rationem excogitarunt, dicent fortasse, Fidei incolumitati et Christianæ disciplinæ morumque integritati satis esse consultum, quod duo interveniant alter ab Archiepiscopo alter Inquisitore delegati ecclesiastici viri.

§. 5. Sed cujus roboris, quæsumus, erit eorum auctoritas? quid ab iis afferetur momenti ad rejciendos, vel typis evulgandos libros, quibus doctrinæ ad Fidem et disciplinam spectantes confineantur? Quantumvis enim libere suam sententiam proferant, hæc si adverteatur sententiæ secularium censorum (quibus tamen de talibus doctrinis ne hiscere, quidem liceret) semper tamen in Deputatorum secularium erit arbitrio laicorum potius censorum probare sententiam, et typis permittere librum aliquem imprimi, quem sacri ministri erroneum, et futurum fidelibus scandalo, contra seculares ministri ab omni labe purum judicaverint. Hinc inter utriusque potestatis ministros pro sua quosque sententia digladiantes, rixæ et contentiones, Sacerdotium inter et Imperium amaræ conquestiones atque discordiæ magno cum Religionis et ipsius quoque reipublicæ detrimento.

§. 6. Quamobrem ad hæc avertenda mala nihil præstabilius, carissima in Christo filia Nostra, quam eorum quæ usque ad hanc diem experte sumus bene consulta nihil prorsus movere in ditione Mediolanensi, ubi ad librorum examen atque censuram nihil opus est amplius, quam ut exacte serventur regulæ jamdiu a duobus generalibus concilijs Lateranensi et Tridentino præscriptæ, et ab eo Archiepiscopo, qui magnum est Mediolanensis Ecclesiæ ornamentum, S. Karolo Borromæo in provincialibus Synodis summo opere commen-

Quin gravamen tollatur per demandatam binorum Ecclesiasticorum deputatorem in censorum numero.

Semper enim prævalebit sententia laicorum censorum præ ecclesiasticorum opinione.

Ad quæ avertenda mala hortatur Imperatricem Regiam ne aliquid innovari sinat præscriptis in Concilio Lateranensi, et Tridentino.



data. His enim regulis præsertim Principum prædecessorum tuorum quoque usque ad hanc diem patrocinio roboratis, ipsa docuit experientia nihil esse salubrius, nihil ad coercendam evulgandorum librorum licentiam accomodatius. Itaque extimamus numquam melius te, carissima in Christo filia Nostra, tuo Religionis et catholicæ Fidei conservandæ zelo satisfacere posse, quam cum auctoritatem tuam impenderis, ut, quæ de imprimendis libris prudentia summa sapientissimi Episcopi in memoratis concilijs constituerunt, sancte et accurate custodiantur. Nam nova moliri, incertum quo sint evasura, et plerumque periculosum; vetera mutare, quæ ipsa experientia conducilia, et utilia quantam laudem habere possit ipsa Regia Maestas tua judicaverit. Denique ut in eo scribendi finem faciamus, quo in his literis Nostris spectavimus; nullam quæsumus in hac re mutationem fieri patiatur Regia Maestas Tua; sic enim servatis Ecclesiæ antiquis regulis tuum in Religionem amorem expleveris, et a Christo Domino ejusque sponsa Ecclesia, quæ sola est doctrinæ meritorumque magistra uberrimum gloriæ meritorumque fructum retuleris. Tibique carissima in Christo filia Nostra, quam paterni animi Nostris præcipua charitate prosequimur, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxxi. Januar. MDCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno IX.

## DLXXIII.

Congregatio, sive Unio matronarum, et virginum illustrium sub denominatione S. Elisabeth erigitur in Civitate Manheim, eique peculiare indulgentiæ elargiuntur.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pietatis officia erga indigentes, et pauperes, ut fervido studio, et sollicita charitate exerceamus in Sanctis Scripturis frequenter Nos admonet Redemptor, et Magister noster Christus Dominus, qui cum ultimum judicium in fine sæculi peracturus advenerit, tremendæ illius divisionis a dextris, et

a sinistris, et divinæ, quæ subsequetur sententiæ, qua bonis æternæ beatitudinis præmium, et malis sempiterni supplicij pœnam decernet, hanc unam rationem se redditurum prædixit, quod boni in se, hoc est in pauperes, in quorum persona esse voluit, misericordiæ opera obiverint, quæ mali in perpetuum suum exitium adimplere perversa voluntate, et obdurato corde detraxerunt. Nos igitur, qui in Beati Petri cathedra, superna dignatione, licet immerentes, constituti omnium fidelium saluti procurandæ Apostolicæ servitutis debito advigilare constringimur pia, ac laudabilia, præsertim sublimium personarum studia, quibus se ipsos, et alios ad opem miseris ferendam, sublevandamque egenorum inopiam, et mærentium calamitates depellendas inducere, atque impellere satagunt, libenter Apostolica Nostra auctoritate quantum in Domino possumus, fovemus, et gratis, ac favoribus prosequimur opportunis.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia nobilis mulier Elisabeth Augusta Comitissa Rheni, atque conjux dilecti, etiam filii nobilis viri Karoli Theodori sacri Romani Imperii Electoris Palatini, quod ipsa ob peculiarem ejus devotionem erga sanctam Elisabeth, cujus nomen habet, unam matronarum, et virginum illustrium Congregationem, sive Unionem sanctæ Elisabeth nuncupandam, quæ sub glorioso ejusdem beatæ Elisabeth nomine, et insignibus potissimum in operibus pietatis, et charitatis se exercere debeant, ex Principissis domus Palatinæ, aliisque matronis, et virginibus nobilibus, et illustribus in eam adscribi volentibus constitutam in oppido Manheim civitate nuncupat., a Nobis erigi, et institui, ac specialibus indulgentiarum muneribus decorari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari facit, ut in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur, qui devotionis, et

Preces porrectæ pro nova erigenda Congregatione illaque approbanda.

Pontifex precibus annuit, et Congregationem S. Elisabeth erigit, atque confirmat.

loci, ubi eadem Elisabeth comitissa, sive alia quæcumque Principissa, quæ in ejus locum succedere contigerit, habitare, et residere constituerit, unam Congregationem, seu Unionem Principissarum ex inclita domo Palatina, aliarumque matronarum, et virginum illustrium, et nobilium sub titulo, seu denominatione sanctæ Elisabeth, cujus sorores processionaliter incedere, divina officia celebrare, se se congregare, et cætera, quæ per confratres, et consoras aliarum similium Congregationum, sive Confraternitatum fieri solent, facere libere, et licite possint, et valeant, accedente tamen ad id Episcopi Wormation. consensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo sine cujusquam præjudicio, erigimus, ac instituimus.

Novo sic erectæ congregationi facultatem facit statuti condendi, et donationes exicipiendi.

§. 4. Ac ipsius Congregationis, sive Unionis sic erectæ, et institutæ consorioribus pro tempore existentibus, ut quæcumque capitula, statuta, decreta et ordinationes pro salubri earum, et dictæ congregationis, sive unionis gubernio, et directione necessaria et opportuna, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus Apostolicis, nec non Concilii Tridentini decretis minime contraria, et per prædictum Episcopum Wormation. examinanda, et approbanda, facere, et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, et expediens fuerit, prævia tamen examinatione, et approbatione ejusdem Episcopi pro tempore existentis mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare, ac iusuper omnia, et singula legata relicta, res, et bona quomodolibet qualificata mobilia, et immobilia per quoscumque christifideles eidem Congregationi, sive Unioni per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore data, relicta, donata, et elargita, ac danda, relinquenda, donanda, et elargienda recipere, illaque per earum officiales, et ministros regere, gubernare, et administrare, ac in ejusdem Congregationis, sive Unionis, ejusque piorum operum usus, et necessitates, ac utilitatem convertere, ita tamen, ut de receptis, et administratis Ordinario loci juxta decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur, libere, et licite possint, et valeant auctoritate, et tenore præsentis concedimus, et indulgemus.

§. 5. Insuper ut consorores prædictæ in piorum operum exercitio magis confoveantur, et ad illa in posterum

Peculiares indulgentiæ pro nova erecta Congregatione.

exercenda per amplius invitentur, dictaque Congregatio, sive Unio majora in dies, benedicente Domino, suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, et singulis mulieribus, matronis, et virginibus, quæ Congregationem, seu Unionem hujusmodi in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, et confessæ sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, ac eisdem incujuslibet earum mortis articulo, si vere etiam pœnitentes, et confessæ, et sacra communione refectæ, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contritæ nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, etiam plenariam, nec non prædictis consorioribus in præfata Congregatione, sive Unione pro tempore descriptis principissis quidem ex inclita Domo Palatina ortis, seu in eam pro tempore nuptis, nec non aliis quibuscumque principissis, vel jam in dictam Congregationem, seu Unionem adscriptis, vel in futurum adscribendis, quæ semel in mense, cæteris vero, quæ quinque vicibus quolibet anno vere pœnitentes, et confessæ sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in ecclesia, seu cappella ipsius Congregationis, sive Unionis sumpserint, ibique pro christianorum principum concordia preces effuderint, qua vice prædictarum id egerint respective similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea omnibus, et singulis consorioribus prædictis in eadem Congregatione, seu Unione pro tempore descriptis, quoties aliquod christianæ charitatis, vel pietatis opus exercuerint, toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Demum, ut ecclesia, seu cappella prædicta congruis frequentetur honoribus, et christifideles eo libentius devotionis causa ad illam confluant, quo ex hoc ibidem spiritualium gratiarum donis uberius noverint se refectos omnibus, et singulis christifidelibus vere pœnitentibus, sacraque communione refectis, qui ecclesiam, seu cappellam hujusmodi in die festo sanctæ Elisabeth a primis vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia preces effuderint,

plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

De Congregatio  
tra riorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut si alias dictis consorioribus præmissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus concessa fuerit, aut si dicta Congregatio, sive Unio alicui archiconfraternitati unquam aggregetur, præsentibus, et quævis aliæ literæ Apostolicæ quoad indulgentias, et remissiones peccatorum prædictas illi nullatenus suffragentur, sed tunc eo ipso prorsus nullæ sint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die trigesima prima Januarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono

Dat. die 17.  
Febr. 1767. An.  
no IX.

DLXXIV.

Approbatio resolutionis capituli Seguntini, qua loco diei xi. Junii cujusque anni commutatur dies i. Julii, pro electione officialium ejusdem capituli.

Venerabili fratri Episcopo Seguntino

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

Ex vetusti consuetudine hujus capituli, quolibet anno die XI. Junii eligebantur officiales capitulares.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici istius Ecclesiæ cathedralis Seguntinæ, quod dudum sel. rec. Alexander Papa VI. predecessor Noster per suas in simili forma Brevis die XIV. Martii MDI. expeditas literas statuit, et ordinavit, ut in prædicta Ecclesia bis in qualibet hebdomada, ac singulis annis in die S. Barnabæ, xi. nempe Junii pro officialibus eligendis capitulum congregaretur, et alias prout in dictis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene et sufficienter expressum, et insertum haberi volumus, fusius continetur.

Recensentur incommoda derivantia ex priori methodo ad que remouenda capitulum commutari dicitur electionis duxit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, usus ac consuetudo in præfata Ecclesia invaluerit computandi initium anni residentie a prima die mensis Julii, cujuslibet anni, usque ad ultimam diem Junii alterius anni sequentis, ac multa pars

eorum, qui præbendas obtinent solitis, et legitimis annuis vacationibus a choro, ut asseritur, perfuentes, mense Junii abesse ut plurimum solent, indeque eveniat, quod non minima eorum pars prædicto capitulo diei xi. Junii interesse nequit, ac propter illorum absentiam electio hujusmodi officialium a præsentibus tantum, quos nonnunquam paucos esse accidit, in dictæ Ecclesiæ præjudicium fieri contigit; ne itaque in posterum hujusmodi inconueniens eligendi modus sequatur, dicti exponentes in capitulo desuper habito unanimi penes suffragio censuerunt, prædictam diem electionis in memoratis literis, ut præfertur, in festo S. Barnabæ statutam in aliam diem primam Julii cujuslibet anni commutandam esse, si Noster, et hujus sanctæ Sedis assensus accedat, et permissio. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per præsentibus committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis diem xi. mensis Junii festus Sancti Barnabæ, quo prædicta electio officialium hujusmodi juxta dictarum literarum ejusdem Alexandri prædecessoris tenorem facienda erat, in diem primum mensis Julii cujuslibet anni, auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium pro tuo arbitrio, et prudentia commutes, electionemque eorumdem officialium in dicto die Sancti Barnabæ xi. mensis Junii usque adhuc peractam, in posterum die primo mensis Julii cujuslibet anni faciendam esse, dicta auctoritate statuas, et injungas.

Pontifex prævia approbatione resolutionis capitularis petitioni pro officialium electione indulget.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per

Clansula subhiata, et decretam irritans.

quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5 Non obstantibus prædictis Alexandri prædecessoris literis, cæterisque præmissis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non capituli, et canonicorum prædictorum, aliisque quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum iusertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI. Februarii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno nono.

DLXXV.

Dat. die 18.  
Febr. 1766. Au-  
no IX.

Revocantur literæ Urbani VIII. dierum XV. Febr. MDCXXXV, et XXV. Oct. MDCXXXVII super exemptione beneficiatorum Ecclesiæ Tarraconensis a jurisdictione Capituli, Canonorum, et Vicarii capitularis dictæ Ecclesiæ sede Archiepiscopali Tarraconensi vacante.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Attentis peculiaribus circumstantiis Urbani VIII. beneficiatos hujusmodi, ab capituli, et vicarii capitularis jurisdictione exempti Sede Tarraconensi vacante.

§. 1. Alias pro parte tunc existentium confratrum confraternitatis Beatæ Mariæ Virginis Presbyterorum commensalium beneficiatorum Metropolitanæ Ecclesiæ Tarraconensis rec. mem. Urbano VIII. prædecessori Nostro exposito, quod ipsi a congregatione negotiis

Episcoporum præposito petierant exemptionem a jurisdictione capituli sede Archiepiscopali vacante, et stantibus litibus inter capitulum dictæ Ecclesiæ, et confratres præfatos ab eadem Congregatione obtinuerant, quod vicarius generalis capitularis, sede prædicta vacante, nominaret iudicem partibus non suspectum, qui durantibus litibus, omnes causas dictorum presbyterorum Confraternitatis, ejusque singularium personarum tam civiles, quam criminales activas, et passivas, sede hujusmodi vacante tantum, et litibus durantibus cognosceret; ac in eadem expositione subjuncto, quod propter frequentem ejusdem Ecclesiæ vacationem, et propter lites non solum tunc temporis pendentes in auditorio Rotæ, sed etiam alias forsitan in partibus excitandas, dicti confratres obtinere non poterant, pacem, quam, ut alacriori animo divinis inservire valerent, ipsi exoptabant, atque idcirco exemptionem a dicto capitulo, et vicario sibi, et illorum particularibus personis concedi, ac eorum lites omnes civiles, criminales, et mixtas activas, et passivas per abbates monasteriorum Populeti, et sanctorum Crucium in diocesi Tarraconensi existentium cognosci memorati confratres plurimum desiderabant. Idem Urbanus prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus capitulo, et canonicis prædictis ejusdem Ecclesiæ Tarraconensis injunxit, ut attentis litibus, et dissensionibus inter capitulum, et canonicos prædictos ex una, et præfatum confraternitatem ex altera, partibus vertentibus, eisdem confratribus eorumque singularibus personis iudicem non suspectum, sed confidentem, seu de partium consensu deputarent, qui quoties sedes ejusdem ecclesiæ vacasset, durantibus controversiis, et litibus prædictis dumtaxat, causas omnes confraternitatis prædictæ, illiusque presbyterorum commensalium, et beneficiatorum civiles, et criminales, meras, mixtas, activas, et passivas audiret, et prout juris fuisset, terminaret, ac interim confraternitas ipsa; ejusque confratres, et singulares personæ ab omnimoda obedientia, superioritate, jurisdictione, visitatione, auctoritate, et correctione prædicti capituli, canonicorum, eorumque vicarii Capitularis exemptæ, liberæ, et immunes dicendæ essent, ac existerent, et alias prout in ipsius Urbani prædecessoris desuper in simili forma brevis diei xv. Februarii MDCXXXV. expeditis literis, quarum tenorem pro plene,

et sufficienter expresso, insertum haberi volumus uberius continetur.

Idem Urbanus VIII. ipsis beneficiatis indulxit ut, Sede vacante, eorum causam cognosci possent ab ordinariis Illerdensi, et Barchinonensi.

§. 2. Postmodum vero cum in supranumeratis literis ejusdem Urbani prædecessoris iudex aliquis particularis deputatus, seu descriptus minime fuisset, qui causas inter prædictos confratres, et alios quoscumque, sede vacante, memoratæ Ecclesiæ Tarraconensis tunc existentes, seu extituras, cognosceret, dicti confratres confraternitatis Beatæ Mariæ presbyterorum commensalium, et beneficiatorum ejusdem Ecclesiæ metropolitanæ Tarraconensis denuo eidem Urbano prædecessori supplicari fecerunt ut sibi de aliquo iudice ad effectum præfatam providere dignaretur, ipseque Urbanus Prædecessor hujusmodi precibus quoque inclinatus, de eorundem Cardinalium congregationis negotiis Episcoporum præpositæ consilio, mandavit, ut omnes, et singulæ causæ tam civiles, quam criminales, meræ, et mixtæ, activæ, passivæ inter ipsos confratres exponentes, ac præfatos capitulum, et canonicos, et alios quoscumque ortæ, seu pro tempore orituræ, sede dictæ Ecclesiæ Archiepiscopalis vacante, ab ordinario Illerdensi, et Barchinonensi, cum omni, et quacumque necessaria facultate, ab eodem Urbano prædecessore specialiter ad illarum, privative quoad alios, cognitionem delegatis, firmis tamen in reliquis manentibus suis literis præfatis, audiri, cognosci, et prout juris fuerit decidi, ac terminari debere, et alias latius prout in posterioribus ejusdem Urbani prædecessoris desuper in simili forma brevis die xxv. Octobris MDCXXXVII. quarum pariter tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso insertum haberi volumus uberius continetur.

At cessatis causis memoratæ exemptionis capitulum Pontifici supplicavit, ut jurisdictioni capitulari eosdem beneficiatos submittere iterum dignaretur.

§. 3. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Capitulum, et Canonici prædictæ Ecclesiæ metropolitanæ Tarraconensis post adeo longævi temporis cursum ex litibus, ac dissensionibus jamdudum ortis, atque ventibus inter dictos Capitulum, et Canonicos ex una, ac memoratos Confratres Confraternitatis Beatæ Mariæ presbyterorum commensalium beneficiatorum dictæ metropolitanæ Ecclesiæ, eorumque singulares personas ex altera partibus, aliæ extinctæ, aliæ vero suspensæ remanserint; et cum exemptio eisdem confratribus, et confraternitati a jurisdictione Capituli, et Canonicorum prædictorum, eorumque Vicarii capitularis, ac deputatio tam Judicis, quam ordinariorum Illerden. et Barchinon. pro cognoscendis eorum causis, et

controversiis, sede prædicta vacante, in memoratis literis ejusdem Urbani prædecessoris, attentis litibus, et dissensionibus hujusmodi concessa, e respective peracta fuerit. Nobis propterea Capitulum, et Canonici prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut sublata tam exemptione hujusmodi confraternitati, et confratribus prædictis, eorumque singularibus personis, ut præfertur, attributa, quam etiam deputatione præfati judicis, ac ordinariorum Illerden., et Barchinon. pro cognoscendis eorum litibus, sede vacante prædicta, in memoratis literis decreta, dictos confratres, et confraternitatem tempore vacationis hujusmodi omnimodæ jurisdictioni, et subjectioni memorati capituli, et canonicorum, eorumque vicarii capitularis subesse per Nos declarari, et sibi in præmissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quævis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurserunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super his relatione venerabilis fratris, Joannis Archiepiscopi Tarraconen., cui supplicem libellum nobis porrectum ut auditis interesse habeatibus, animi sui sensum aperiret, remissimus, prædictas memorati Urbani prædecessoris literas die xv. Februarii MDCXXXV., et die xxx. Octobris MDCXXXVII., ut præfertur, expeditas, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo revocamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacuumus, et revocatas, cassatas, sublatas, abrogatas, irritas, abolitas, annullatas, viribusque, et effectu vacuas esse, nec ulli prorsus suffragari posse, sed præfatos confratres, et confraternitatem beatæ Mariæ, ac presbyteros commensalem beneficiatos dictæ metropolitanæ ecclesiæ Tarraconen. tempore vacationis ejus sedis archiepiscopalis omnimodæ jurisdictioni, correctioni, visitationi, et subjectioni capituli, et canonicorum dictæ metropolitanæ ecclesiæ, eorumque vicarii capitularis, juxta sacrorum canonum, præsertim concilii Tridentini, et Apostolicarum constitutionum dispositionem subesse debere in omnibus, et per omnia perinde ac si exemptio ab illo-

Pontifex prævia abolitione exemptionis ab Urbano VIII. indulgæ, capituli Tarraconensis precibus benigne annuit.



rum jurisdictione, et prædicta deputatio iudicis, ac ordinariorum Illerden, et Barchinonen. nullatenus concessæ fuissent, nec literæ prædictæ emanassent, auctoritate, et tenore præsentis statuimus, et ordinamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinariorum, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et sedis prædictæ nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus prædicti Urbani prædecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Ecclesiæ, et capituli prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub anno Piscatoris, die decima octava Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXVI.

Dat. die 21.  
Febr. 1767. Anno IX.

Queritur cum Mutinensi Duce, quod duo puellæ Judææ, Ecclesiæ a proprio parente oblatae, et Judæus alter adultus ad Cathecumenorum domum migratus, Mutinensis magistratus jussu fuerint ad Judeorum septa redacti.

Dilecto filio nobili viro Francisco  
Mutinæ Duci.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili nobilis vir salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum a ven. fratre Joanne Maria Episcopo Regiensi, haud ita pridem accepissemus, Judæum quemdam, cui nomen Elias Sonninus, considerati consilio certoque animo, parvulas duas filias S. Matri nostræ Ecclesiæ sponte sua obtulisse, superabundavimus gaudio, manusque ad cælum sustulimus, gratia agentes Deo, quod acerbiter quotidianæ Nostræ sollicitudinis et curæ ex afflictis fere ubique catholicæ Ecclesiæ rebus ea lenire consolatione voluisset: quamquam gaudium Nostrum identidem stupore quodam intermittebat ex incomprehensibili Dei iudicio: qua enim gratia parvulis puellis sacro regenerationis lavacro oblatis porta Cæli quodam modo aperiebatur ejusdem gratiæ fructum idem pater non potuit capere: qui Deo ab judaica illam superstitione ad Jesu Christi fidem vocanti, obstinato animo restitit. Jussimus autem duas illas infantes a memorato Episcopo baptizari, cumque anxie illius literas expectarem, quæ Nobis afferrent, eas sacro ablatis lavacro ad christianam Ecclesiam fuisse jam aggregatas, inopinato ac plane horribili nuncio sumus percussus. Nobis enim rescripsit eidem ven. frater, se incio, ex improvise parvulas illas, magistratus Mutinensis jussu, catechumenorum domo, noctu extractas, et ad judæorum septa asportatas, perfidi parentis curæ et custodiæ fuisse traditas.

De binarum puellarum oblatione a parente facta sermonem instituit, deque arbitraria illarum ad Judeos restitutione.

§. 2. Quam indignitatem alia judæorum consequuta est, magistratu Mutinensi pariter adjutore, in Ecclesiam injuria. Quidam enim judæus ad catechumenorum ædes confugerat, quem hebræi omnino mentis impotem dictabant. Episcopus in ejus dementiæ, quam illi tantopere prædicabant, cognitione et examine versabatur, diligenterque hominem excutiebat, serio ne de

Agit de Judeo adulto ad catechumenorum domum migrato, et ab eodem, arbitrato Mutinensis magistratus ejecto.

amplectenda christiana Religione cogitaret. Ecce autem, eodem pariter inscio et inconsulto Episcopo, magistratus Mutinensis ea nocte, quæ noctem illam est proxime consequuta, cum memoratæ duo parvulæ infantes prope ab Ecclesiæ sinu fuerunt abreptæ, judæum illum ad hæbreorum habitacula reduci curavit.

Injuriose ea facta fuisse christianæ religioni demonstrat, et Mutinensis Ducis auxilium expostulat.

§. 3. Quæ iniquissima duo judicia, disceptantibus hinc christiana Ecclesia, hinc judaica sinagoga, qui a te, dilecte fili nobilis vir, existimasset esse profecta, atrocem præclaræ Religioni tuæ et æquitati injuriam faceret, nobis quidem minime dubium est, te insciente Mutinensem magistratum tam nullam habuisse ratione Ecclesiæ, tam studiose favisse judaicæ perfidiæ. Hujus autem facti, de quo nemini uaquam vel exiguo Religio- nis sensu prædito indignabunda satis suppeditare potest oratio, egregiæ tuæ pietatis erit funditus, si fieri potest, vel ipsam delere memoriam. Ad te confugimus, a te duas animas Jesu Christi sanguine redemptas, et per sacrum regenerationis lavacrum eidem sanctæ matri, cui dono datæ fuerunt, restituendas, quam maxime flagitamus. Qui tibi delectum facienti se exhiberet, et militiæ vellet nomen dare, illum si quis malitiose a se suscepto consilio retraheret cogitat, velimus nobilitas tua, quam graviter ea de re jure quidem ac merito irasceretur. Ecclesiam pariter estimato, dilecte fili nobilis vir, jure indignare et conqueri, quod a suo sinu animæ illæ fuerint avulsæ, quas vel ultronea sui ipsarum deditio, vel oblatione legitima suas propriasque jure censebat, jamjam per baptismatis sacramentum christianæ militiæ nomen daturas. At enim adulti illius judæi cui mens integra non esset, improvida censenda est et inconsulta conversio: duarum itidem infantium oblationem inconsiderate factam inde quis recte judicaverit, quod pater postridie quam filias Ecclesiæ obtulit, factum mutavit, eamque oblationem infectam voluit. Ad hunc quidem modum in hac re disputant judæi, judæorumque fautores, quibus magistratus Mutinensis omnem habuit fidem, nec præ sinagoga tanti esse christianam Ecclesiam estimavit, ut ejus etiam rationes censuerit audiendas. Quo nihil injuriosius nihil absurdus flagitante nimirum judaica perfidia christianos judices Ecclesiam indicta causa de sua quasi possessione deturbasse. Obstupescite cæli super hoc, et portæ ejus desolamini, verum de hujusmodi rebus solius est Ecclesiæ judicare.

§. 4. Illa enim judæum illum apud se diligentissime custodire debebat, ne cui fraudi aut subversioni esset locus, ejusque voluntatem accuratissime explorare. Eas vero parvillas infantes a parente dono acceptas, ac propterea suas et proprias Ecclesia justissime possidebat, cui manus illud contra jus et fas minime ereptum oportuit. Satis enim notæ sunt Ecclesiasticæ leges, quæ præscribunt quid facto opus sit talibus in rebus, et innumera pene proferri possunt exempla, quæ probant parvulos infantes ab judæis parentibus Ecclesiæ oblatos, ipsius laicæ potestatis auctoritate apud eandem Ecclesiam fuisse retenta, etiamsi parentes ad superstitionem judaicam remigrassent. Quæ quidem exempli in longinquis regionibus nihil est opus conquirere, sed eorum memoriam in ipsi ditionis tuæ locis, neque altius quam ab ætate illustris parentis tui facile potest nobilitas tua repetere. Nam in eadem Regiensi civitate anno 1735. judæa quædam mater fuit, quæ plures habebat filios. In his erat filia adulta ætate, quam christianæ Religionis revera cupidam, ut a sancto proposito averteret nefaria mater, se quoque ad Christi Ecclesiam aggregari vel simulavit. Cui simulationi majorem ut adstrueret fidem ad catechumenorum domum commigravit, sexque alios Ecclesiæ obtulit filios suos, partim puerulos partim adultos, quos apud patrem in judæorum septis reliquerat. Cum autem scelestæ fæminæ patefacta fuerit simulatio, parentibus frustra magno clamore suos reposcentibus filios, pronuntiatum fuit puerulos baptizandos, et qui adulta essent ætate, eorum esse animum explorandum, num et ipsi christianam Religionem vellent amplecti.

Ecclesiæ proprium erat judicare tum de adulto judæo tum de puellis oblati prout de similibus judicis plura habentur exempla.

§. 5. Sed cui verus inest christianæ Religionis amor, nihil est opus ecclesiasticas, quibus tenetur, leges commemorare, aut exempla adhibere, quibus tamquam stimulis excitetur. Summa hujus rei huc tandem redit: animæ sanguinæ Christi redemptæ, adspirante divina gratia, dono dantur Ecclesiæ, atque ita ex ore et faucibus inferni eripiuntur. Eas in potestate judæorum deserre, perinde est ac easdem æternis pœnis cruciandas ad inferos deturbare. Has a nobilitate tua nos summopere flagitamus, atque de Religione tua ea est nobis opinio, ut de iis impetrandis artam propemodum opem habeamus. Quod si postulata nostra (quod Deus prohibeat) repudiaveris, cogitatio, quæsumus, dilecte fili nobilis vir, illum aliquando fu-

Mutinensis Ducis Religionem excitat, ut is, exemplis etiam sepositis, Ecclesiæ illatam injuriam vindicet.

turum diem, cum Jesus Christus Dominus gloriæ, iudex vivorum et mortuorum, cuius nomen est super omnem principatum et potestatem, harum a te rationem animarum requirit quarum æterna pœna tibi imputabitur. Nos quidem cum de his nobilitatem tuam pro Apostolico Nostro munere admonemus, animam nostram liberavimus. Ipse autem videto apud æternum iudicem, quam excusationem sis allaturus, sed a pietate tua, dilecte fili nobilis vir, nihil Nobis non pollicemur. Interea nobilitati tuæ paterno animi nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter imperitumur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXI. Februarij MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXVII.

Dat. die 25.  
Februar. 1767.  
Anno IX.

Præfectis missionum ordinis minorum S. Francisci in Indiis occidentalibus inter Discretos Seminariorum missionum huiusmodi recensentur, eisque post primum Discretam locus assignatur.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni præfecti missionum seminariorum ordinis minorum sancti Francisci, de observantia nuncupatorum, in partibus Indiarum occidentalium erectorum, quod licet ipsi tamquam deputati a venerabilibus fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpositis in dictis seminariis, atque missionibus quoad spiritualia omnimodam gerant præfecturam, nihilominus neque a fel: rec: Innocentio Papa XI. prædecessore Nostro in suis super statutis regimine, ac gubernio seminariorum huiusmodi in simili forma brevis die VIII. Maii MDCLXXXII, et die XVIII. Junii MDCLXXXVI, ac die XVI. Octobris ejusdem anni expeditis literis, neque a constitutionibus generalibus ordinis huiusmodi Apostolica auctoritate confirmatis, eisdem exponentibus ullus assignatus fuit locus standi, ac incedendi, tam in casu, quo ipsi operam dant missionibus prædictis, quam quoties extra missiones huiusmodi moram faciunt.

Bull. Rom. Tom. III.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quam maxime conveniat muneri præfecturæ huiusmodi, quod dicti exponentes, qui eisdem missionibus quoad spiritualia præsumunt certum incedendi, et standi locum obtineant, et eodem munere durante, inter Discretos seminariorum huiusmodi numerentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut tam in dictis missionibus, quam in seminariis huiusmodi ipsis locum sedendi, standi, ac præcedendi, assignare, eosque in numerum Discretorum, qui in quolibet seminario missionum huiusmodi sunt, referre, ac sibi in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorundem Cardinalium, qui ministrum generalem dicti ordinis prius audiendum esse censuerunt, consilio, dictos exponentes, eorumque in officio præfecturæ missionum dictorum seminariorum successores inter Discretos seminariorum huiusmodi recensendos, esse, eosdemque præfectos in omnibus consensibus, congregationibus, aliisque actibus communibus secundum locum post primum Discretum eorundem seminariorum obtinere debere, ita ut primus tantum Discretus eos præcedere possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium volumus, et mandamus, salva semper in præmissis auctoritate congregationis eorundem Cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, ac ordinationibus Apostolicis, et

Petitio Pontifici directa, ut Præfecti hi peculiare distinctum locum obtineant, et inter Discretos Seminariorum accenseantur.

Pontifex precibus annuit, peculiareque leges iudicis queis gaudere indultis honoribus queant.

Clausula subblata, et decretum irritum

Derogatio contrariorum.

Præfecti harum missionum nulla donabantur prærogativa, ex præcedentibus constitutionibus Apostolicis et ordinis.

quatenus opus sit ordinis, et seminariorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima tertia Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

### DLXXVIII.

Viennensi Archiepiscopo respondet, qui Pontifici scripserat de Episcopo Diensi, qui persecutionem patiebat pro Congregatione canonicorum regularium S. Ruffi.

Venerabili fratri Guilelmo Archiepiscopo Viennensi in Delfinatu.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. De Episcopo Diensi vehementer ejus dolemus vicem. Sed Episcopis propositam esse vitam periculorum, sollicitudinem, et angorum plenam, fraternitas tua non ignorat = *Nemo igitur moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* = nec recedendum ab

officio custodiendi ab hoc seculo immaculatum dominicum gregem, et res Deo sacras strenue tuendi, quantumvis nostris conatibus resistatur = *Reco-gitate eum, ait Bñus Paulus, qui talem Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non defatigemini, animis vestris deficientes* = Quod scribis triumphare Calvinistas, qui catholicum Episcopum propter zelum domus Dei exagitari videant, et divexari, usurpanda nunc maxime illa est regii prophetæ oratio: = *Posuisti nos in contradictionem vicini nostris, et inimici subsanaverunt nos, et non discedimus a te; vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus. Deus virtutum converte nos: ostende faciem tuam et salvi erimus* = Ea enim tempora nunc inciderunt, quibus non aliunde quam a sponso suo Jesu Christo sancta mater Ecclesia ejusque sacri ministri expectare possint consolationem: Ceterum de negotiis illo, quo spectat epistola tua, venerabilis frater, non comitemus, ut Apostolicum officium Nostrum deseruisse videamur, atque rem illam usque adhuc sit pertractandam curavimus, ut quicumque futurus sit exitus, omnes cognoscant, nihil nos a sacris Canonibus recessis. Et fraternitati tuæ intimo nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

### DLXXIX.

Cum Mutinensi Duca gratulatur, quod in Ecclesiæ obsequium promptus sit binas Judæas puellas, et Judæum adultum eidem Ecclesiæ reddere, a qua, laico magistratu jubente, fuerunt subtractæ.

De hac ipsa materia vide epistolam, quam supra dedimus sub Num. DLXXVI.

Dilecto filio nobili viro Francisco  
Duci Mutinæ

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Opinionem de te Nostram tua non fefellit Religio; et cum ad no-

Dat. die 11.  
Martii 1767.  
Anno IX.

Mutinensem  
Ducem laudat  
pro eximia il-  
lius Religione.

bilitatem tuam proximas literas scriberemus, qui egregiam tuam voluntatem, et obsequentissimi filii devotum in S. matrem Ecclesiam animum tuum abunde novimus, pro certo habebamus, ubi primum eas literas accepisses, te incunctanter de gravissimo illo scandalo amovendo cogitaturum. Itaque lectis literis tuis, noli quærere, dilecte fili nobilis vir, quanto triumphavimus gaudio, cum pietatem tuam ejusmodi esse recognovimus, qualem semper fuisse et esse recte judicavimus. Vidimus quæ tua sit satisfaciendi Ecclesiæ studiosa voluntas, et de tua ipsius æterna salute quam sollicita cura; qui ut hac re securo incendas gradu, a Nobis ipsis te monitum velis, quid tibi faciendum censeamus.

§. 2. Itaque magistratum Mutinensem jubeas oportet, duas illas parvulas et adultum illum Judæum sine ulla mora ad cathecumenorum domum remittere; et eas quidem, ut illico per sacrum regenerationis lavacrum christianæ agerentur Ecclesiæ, illum autem, ut per 40 dies ven. frater Regensis Episcopus ejus animum diligenter exploret, et siquidem hominem comperiat cupidum esse christianæ Religionis et disciplinæ, salutari baptismate illum abluat; sin minus, ad Judæorum septa jubeat reduci. Ad hoc præscriptum Ecclesiæ abunde nobilitas tua satisfaciet, omnemque tibi eximes scrupulum, qui te a posterum male habeat; quod quidem maxime tibi est providendum: nam in hac re, quæ sane gravissima est, quidquid reliquum tibi æserit scrupoli, nimio acrius quam existimaveris animum trum adsidue fodiet. Ceterum, dilecte fili nobilis vir, videto, quæsumus, ne te absente magistratus secularis tales res judicandas suspiciat, de quibus ad Ecclesiam unice spectat judicium. Nunc autem quod santissimis Ecclesiæ legibus tam prompto pereas animo, dici vix potest, id tibi tantopere gratulemur; et nobilitati tuæ Deum precamur ut maxime sit propitius, iisque omnibus, quæ aptas, divinæ gratiæ suæ numine obsecundet; tibi que, dilecte fili nobilis vir, quem in Nostræ caritatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem peramanter imperitur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

Consilia eidem præbet quis laicos adigere Magistratus possit.

DLXXX.

Dat. die 14  
Martii 1767.  
Anno IX.

Hispaniarum Regnis indulgetur, ut quovis die sabathi non impedita, nonnullis tantum temporis exceptis, recitari possit officium, et celebrari missa propria de immaculata conceptione B. M. V.

*Magnam Dei Genitricem sub immaculatæ suæ conceptionis mysterio in principalem universalemque Patronam ditionum omnium Hispaniarum, et Indiarum confirmatam fuisse ab hoc Pontifice constitutione sua anni 1760 Nov. 8 retulimus Tom. II. hujus continuationis sub num. CLXVII. pag. 38. Hanc confirmationem Pontifex Hispaniarum Regi nunciavit per epistolam anni ejusdem Decembr. 22, legendam loco citato sub num. CLXXII. pag. 44, officium proprium, et missam diei festi, et octavæ immaculatæ conceptionis magnæ matris Virginis ad universas ditiones Hispanicas, et Indicas extendit Pontifex idem constit. anni 1761 Jan. 17, relata eod. Tom. II. sub num. CLXXX. pag. 55.*

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **C**ommissi Nobis divinitus sacrosancti apostolatus officium salubriter exequi, adjuvante Domino, satagentes piis christifidelium, et præsertim personarum in sublimitate positarum, magnoque virtutum fulgore præstantium votis ad augendam gloriosissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, cultus conceptio, quæ gaudium annuntiavit universo mundo, venerationem, et cultum laudabili studio tendentibus favorabilem assensum, paterna benignitate libenter præbemus, sicuti ad omnipotentis Dei gloriam, ejusdemque Beatæ Mariæ Virginis honorem, christianique populi devotionem salubriter in Domino expedire arbitramur.

§. 2. Cum itaque, sicut pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici nuper expositum fuit, ipse Karolus rex pro eximia erga eandem beatam Mariam Virginem devotione officium proprium immaculatæ conceptionis beatæ Mariæ Virginis Patronæ principalis, omnium dominiorum dicto Karolo regi subjectorum, singulis sabathis festo duplici, aut semiduplici non impeditis recitari,

Proemium.

Preces a catholico Rege porrecte pro officio, et missa propria B. M. V. de conceptione.



et missam celebrari posse plurimum desideret.

Pontifex precibus annuit.

§. 5. Nos pium, et religiosum ipsius Karoli regis animum in Domino commendantes, supplicationibus ejus nomine propter hoc humiliter porrectis inclinari, ut in posterum singulis sabbathis festo duplici, vel semiduplici non impeditis officium proprium immaculatæ conceptionis beatæ Mariæ Virginis Patronæ principalis omnium dominiorum eidem Karolo regi subjectorum ab omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui in iisdem dominiis ad horas canonicas tenentur sub ritu semiduplicis, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum etiam sine jejunio, ac illis sabbathis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium Dominicæ aut de festo duplici, vel semiduplici translato recitari, et missa itidem propria respective celebrari possit, et valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum, et transumptorum fides.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXI.

Dat. die 14. Martii 1767. Ann. IX.

Ut in litanis Lauretanis superaddi possit versiculum: Mater immaculata, indulget pro universis Hispanicis Regnis.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Laudat catholici Regis Religionem.

§. 1. Eximia pietas in Deum, et erga gloriosissimam virginem Dei genitricem Mariam devotio, et regiarum virtutum decora, cum præclaris in Ecclesiam Dei meritis, singularique in nos, et Apostolicam sedem fide conjuncta, quibus carissimum in Christo filium

Nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum multipliciter insignivit Altissimus, paternam Nostram in eum charitatem adducunt, ut pia omnia ejus vota, quæ ad fovendam ejusdem beatissimæ, atque augustissimæ virginis cæli Reginæ devotionem pertinent, libentissime exaudiamus.

§. 2. Cum itaque nuper ad ipsius Karoli regis enixas preces officium proprium immaculatæ conceptionis beatæ Mariæ virginis Patronæ principalis omnium dominiorum eidem Karolo regi subjectorum ab iis, qui ibidem ad horas canonicas tenentur sub ritu semiduplici singulis sabbathis, festo duplici, vel semiduplici non impeditis recitari, et missam celebrari posse per alias Nostras in simili forma brevis desuper expeditas literas, sub certis modo, et forma tunc expressis concesserimus, et indulserimus; pro parte itidem dicti Karoli regis Nobis expositum fuit, quod ipse pro sua erga eandem beatam Mariam virginem immaculatam veneratione in litanis Lauretanis nuncupatis in suis Regnis recitandis post versiculum Mater intemerata, alterum Mater immaculata superaddendum esse summopere desiderat.

Preces porrectæ pro superaddendo in litanis Lauretanis versiculo, quo in rubrica.

§. 3. Nos piis, et enixis ipsius Karoli regis votis paternæ charitatis studio annuere cupientes, illiusque pietatem, et devotionem plurimum in Domino commendantes, supplicationibus ejusdem Karoli regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis, benigne inclinari, auditis prius dilecto filio Nostro Josepho Maria S.R.E. presbytero Cardinali Feroni nuncupato, sacrorum rituum congregationis Præfecto, ac dilectis filiis magistris Vincentio Macedonio ejusdem congregationis secretario, et Karolo Alexio Pisani fidei promothore, facultatem in ejusdem Karoli regis regnis, et dominiis, in quibus beata Maria virgo sub immaculatæ conceptionis mysterio uti Patrona principalis peculiari devotione colitur, addendi in litanis beatæ Virginis, nuncupatis Lauretanis, tam publice, quam private recitandis post versiculum, Mater intemerata, alterum scilicet, Mater immaculata, attentis peculiaribus circumstantiis, et dummodo in illis tam privatim, quam publice recitandis aliud non obtenta speciali facultate a Sede prædicta, minime addatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Pontifex precibus annuit sub peculiaribus legibus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec

Derogatio contrariorum, et transumptorum fides.

non decreto fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris Nostri diè vi. Septembris anni MDCL. edito, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xiv. Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXII.

Statuta congregationis Bursfeldensis ordinis S. Benedicti in Germania confirmantur, nec non literæ Apostolicæ, queis dictæ congregationis privilegia fuere concessa.

*Constitutio Clementis XI. diè 12 Februarii 1718, qua privilegia, exemptionis, et gratiæ huic congregationi indultæ fuere, et de qua in præsentis sermo est non reperitur impressa in Bullario Mainardi.*

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Inescrutabili divinæ bonitatis, atque sapientiæ providentia in Apostolicæ dignitatis fastigio constituti illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostri in favorem religiosorum virorum altissimi obsequiis sub suavi monasticæ vitæ jugo mancipatos, fidei dispensatione, prudentique liberalitate emanarunt, ut firma semper, atque stabilita persistant Apostolici muniminis Nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

§. 2. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa prædecessor Noster nonnulla privilegia Apostolica, et exemptiones a diversis Romanis Pontificibus itidem prædecessoribus Nostri congregationi Bursfeldensi ordinis sancti Benedicti in Germania concessa, nec non quædam decreta, ordinationes, et capitula a præside, aliisque officialibus, et superioribus dictæ congregationis pro felici, prosperoque eorum instituti regimine, et gubernio, conservandaque,

Narrantur privilegia præcedenter concessa huic Congregationi a summis Pontificibus.

et firmiter in ipso stabienda regulari disciplina, ac observantia edita, per suas in simili forma brevis diè xii. Februarii MDCCXVIII. expeditas literas; quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus plenius continetur, sub certis modo, et forma tunc expressis, confirmavit, et approbavit.

§. 3. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni præsides, aliique officiales, et superiores memoratæ congregationis Bursfeldensi dicti ordinis sancti Benedicti in Germania, firmiora sint ea, quæ frequentiori sedis Apostolicæ præsidio roborantur, ideoque privilegia, exemptiones, nec non decreta, ordinationes, et capitula hujusmodi una cum prædictis literis Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.

§. 4. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, privilegia, exemptiones, decreta, ordinationes, et capitula prædicta, dummodo sint in usu, ac licita, et honesta, nec revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa existant, sacrisque canonibus, et præsertim concilii Tridentini decretis, constitutionibusque Apostolicis, aut eorum regularibus institutis, per sedem Apostolicam confirmatis non adversentur, ac memoratas literas ejusdem Clementis prædecessoris Apostolica auctoritate tenores præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus literas, ac decreta, ordinationes, et capitula hujusmodi semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præcedentium privilegiorum confirmationem Superiores dictæ Congregationis expostulant.

Pontifex precibus annuit, et petitam confirmationem concedit.

Clausula subblata, et decretum irritans.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, congregationis, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima octava Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno IX.

DLXXXIII.

Dat. die 24.  
Martii 1767.  
Anno IX.

Asyli privilegio privantur quicumque furta comiserint in valetudinario S. Jacobi de Augusta, incurabili nuncupato, de Urbe.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio Pontifici directa pro abolitione privilegii Asyli contra fures in hoc Valetudinario.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii custodes, et deputati archiospitals S. Jacobi in Augusta, incurabili nuncupati, hujus Nostræ almæ urbis, quod admodum frequentia sint furta, quæ in eodem archiospicali committuntur, et quæ ægrotantium quietem, illisque inservientium tranquillitatem turbant, damnique afferunt ipsis, et eidem archiospicali. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut plurimum fures propter loci immunitatem coerceri, et puniri, resque sublata recuperari minime possint, indeque eveniat, ut furta in dies augeantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, dictum archiospitale Sancti Jacobi in Augusta, incurabili, pro furtis in valetudinario patris, tam pecuniarum, quam aliarum rerum illius usui destinatarum, aut ad inservientes, infirmosque pertinentes, nemini post hac ad asyli immunitatem suffragari posse; auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, decernimus, et declaramus.

Clausula sublatâ, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, quæ Nostris præsentibus literis adversantur, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut sanctio hujusmodi in lapide inscripta, primo dicti archiospitals aditu ad perpetuam memoriam apponatur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxiv. Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.



DLXXXIV

Dat. die 6.  
April. 1767.  
Anno IX.

Cardinalibus, in consistorio secreto coadunatis die 6 Aprilis 1767, significat electionem Patriarchæ Antiocheni, Maronitarum ab Episcopis illius nationis factam, quam Pontifex confirmat.

*Plura, quæ de Antiochæ Patriarcha agunt nationis Græco-Melchitarum relata a Nobis sunt, hujus continuationis Tom. II. sub num. CLVII pag. 5; n. CLVIII pag. 7; et num. CCLXXXVIII. pag. 241, quæ consulenda ad opportunitatem sunt, cum notis ibidem appositis.*

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres

Ecclesiæ Antiochæ merito commemorantur, et de nuperrima Patriarchæ electione rite facta agitur.

§. 1. **T**ristem haud ita pridem accepimus nuncium, hoc me: Tobiam Petrum Gazenium Patriarcham Maronitarum mortalis vitæ suæ cursum explevisse. Sed eam sane gravem jacturam abunde satis reparasse arbitramur ejus nationis Episcopos, qui summa animorum consensione ven. fratri Josepho Stephano Archiepiscopo Berytiensi patriarchalem honorem detulerunt. In qua electione apparet piissimos antistites spectavisse Dei honorem et gloriam, et illius Ecclesiæ utilitatem, qui catholicæ Fidei zelo flagrantem virum, christianæque studiosissimum disciplinæ, tum eximia doctrina, et spectatissima prudentia præditum ad excelsum illius dignitatis locum sustulerint. Deo igitur gratulamur, qui nationem illam catholicæ Fidei constantia, et plæclara in hanc Apostolicam sedem fidelitate et obedientia inclitam adeoque prædecessoribus Nostris eximie dilectam, nobisque egregie curam præcipuo quodam amore videtur respicere, qui ejus custodiæ tam bonum pastorem præfecerit. Ipse autem Ven. frater patriarchalem dignitatem adeptus, cæterique omnes Episcopi procuratorem suum ad Nos miserunt, dilectum filium religiosum virum Joannem Dominicum e familia min: observantium de terra Sancta, ut ejus nomine debitam nobis et huic S. Sedi obedientiam profiteatur. Literas autem idem procurator ad eodem Ven. fratre in Patriarcham electo, et ab eisdem pariter Episcopis ad Nos attulit, omnibus obsequii et reverentiæ notis distinctas; quibus literis a Nobis enixe rogant, ut eam electionem Apostolica auctoritate Nostra confir-

*Bull. Rom. Tom. III.*

mamus, et a Berytensi sede, memoratum Josephum Stephanum ad patriarchalem Antiochenam transferamus. Hujus electionis acta religiosus vir, quem diximus, electi procurator congregationi VV. FF. Nostrorum, qui rebus propagandæ fidei præsent exhibuit. In ea congregationi diligenti examine acta hujus electioni fuerunt excussa, et eorundem VV. FF. Nostrorum judicio nihil abest, quo minus valida et legitima electio illa censi debeat. Itaque de confirmatione hujus electionis, quam electi procurator Episcoporum et cleri nationis Maronitarum nomine a nobis postulat.

Quid Vobis videtur?

§. 2. Auctoritate omnipotentis Dei SSmorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra admittimus postulationem a præfatis Episcopis et clero nationis Maronitarum de more factam, de persona prædicti Josephi Stephani, ipsumque absolvimus a vinculo, quo tenetur Ecclesiæ Berytensis, et transferimus ad patriarchalem Ecclesiam Antiochenam nationis Maronitarum; præficientes eum in Patriarcham et pastorem, juxta decretum congregationis de propaganda Fide, cum decreto, quod fidei professionem orientalibus præscriptam emitte- re, et juramentum fidelitatis præstare, illamque sic emissam ad Urbem infra præfixum tempus transmittere omnino teneatur;

Pontifex hujus Patriarchæ electionem confirmat.

In Nomine Patris et Filii  
et Spiritus Sancti. Amen.

*Cum Patriarchæ procurator gratias agisset Pontifici pro accepto pallio, Pontifex illi respondit, ut sequitur.*

§. 3. Gratum acceptumque habemus devotam erga Nos officium hoc tuum, quo Ven: fratris Josephi Petri Patriarchæ antiocheni nomine gratias nobis agis pro eo quod illius electionem confirmavimus, eique pallii honorem concessimus. De illius pietate et in Romanam Ecclesiam devotione et fide omnia speramus, quæ illius verbis modo pollicebare; et Antiochenam ecclesiam ob ejus in hanc S. Sedem perpetuum obsequium Nobis æque ac prædecessoribus Nostris carissimam egregio viro, et exemtis virtutibus prædicto commissam esse summopere gaudemus; eique etiam num gratulamur, quos ex amantissimi pastoris sapientia, cura et vigilantia fructus, Deo adjuvante, capiet uberrimos.

Electi novi Patriarchæ Procuratori, gratias Pontifici agenti, pro habita confirmatione, respondet.

Dat. die 14.  
Aprilis 1767.  
Anno IX.

DLXXXV.

Cum magni Ducis Etruriæ confessario conqueritur de puella, Judæis parentibus nata, deinde baptizata, et a seculari potestate Florentiæ parentibus reddita.

*De casu huic simili habemus epistolas hujus Pontificis, relatas hoc eodem Tom. III. sub. Num. DLXXXVI. et DLXXXIX. pag. 241 et 244.*

Dilecto filio Josepho Summating Soc. Jesu Pbro. magni Etruriæ, sibi subjectæ Ducis confessario.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

Narrat quomodo puella, a Judæis orta parentibus, fuerit sacro fonte abluta, et deinde parentibus reddita.

§. 1. De puella ista Judæis orta parentibus, quæ Pisis cum ante hos fere tres annos gravissimo correpta morbo versaretur in vitæ periculo, a christiana femina ejus nutrice sacro baptismo Ecclesiæ Christi fuit adgregata, deinde a mortis limine restituta, dilectissimi in Christo filii Nostri magni Ducis jussu pari reddita, in judæorum septis ab eo tempore commoratur, nostrum remordet animum gravis et assidua cura. Nosti, dilecte fili, nostro Nos non defuisse tunc Apostolico officio, et sedulo curasse, ut optimo principi plures rationes esponerentur, quamobrem nefas existimemus eandem puellam cum summo Christi nominis dedecore et probro inter judæos degenerere, eamque conditionem esse plane absurdam, ut cum ad decimum tertium ætatis annum adoleverit, in hebræorum contubernio educata et judæicis superstitionibus probe imbuta libere profiteri scilicet queat ex christiana et judaica, quam nam denique religionem propter amplecti. Pietatem religionemque principis per ven. frat. Archiepiscopum Sidensem Nuncium Nostrum inani querimonia imploravimus. Venerabilium quoque fratrum Archiepiscoporum Florentini et Pisani zelum ad hanc rem adhibuimus, quorum pii conatus nihil a magno Duce consequi potuerunt. Tua etiam opera, dilecte fili, ut probe nosti, frustra usi sumus; ac per hos annos, qui ab eo tempore defluerunt, ea res nimio validius, quam possimus exequi verbis, Nostram de æterna illius puellæ curam sollicitavit.

§. 2. Nunc vero sic, ut nunquam acrius animo urimus, cum ex imitatione perniciosissimi exempli, fuerint qui Ecclesiæ eandem fere injuriam inferre sunt ausi, ut Apostolicum officium Nostrum deserere putarem, si diutius taceremus, et in talibus rebus, hunc morem induci æquo animo pateremur, quo deterioris conditionis esse christiana videatur Ecclesiā præ judaica synagoga. Nuper enim simile quid accidit in civitate Regiensi, ubi jussu magistratus Mutinensis duo parvulæ infantes, quas judæus pater christianæ Ecclesiæ obtulerat, a cathecumeorum domo ad judæorum habitacula reductæ fuerant; quamquam in hac re characteris baptismale impressi nulla fuerat profanatio; neque enim sacro regenerationis lavacro ablutæ fuerant. Nos ad dilectum filium nobilem virum Franciscum Mutinæ Ducem magna cum fiducia confugimus, satis perspectum requirentes pietatem ejus et religionem, et ab eo statim impetravimus, ut parvulæ illæ ad catechumenorum domum reducerentur. Vides, dilecte fili, quæ sit virtus exempli. Utinam, ut Regii, de eo quod Pisis factum est, secularis magistratus sumsit imitationem, ita dilectissimus in Christo filius noster magnus Etruriæ sibi subjectæ Dux Petrus Leopoldus, de Mutinensis Ducis religione, et in S. Ecclesiam reverentia capere velit exemplum.

§. 3. Tu vero, dilecte fili, huc toto pectore incumbas oportet, ut magnus Dux sibi denique persuadat, tamdiu ejus animam de æternæ salute periclitari, quamdiu illius puellæ anima apud judæos in summo versatur periculo subvertitionis. Hanc a te eperam, tuum præcipue flagitat ministerium, qui piissimum principem et egregia religione summo opere præditum in via Domini ducendum dirigendumque suscepisti. Quod si forte (quod Deus prohibeat) te nimio gesseris mollius, quam rei gravitas postulat, aut ille in eo, quod fecerit sit obstinatio, videte quæsumus, quid respondendum habeatis reddituri rationem, ei qui paratus est judicare vivos et mortuos, cum de manu tua animam principis, de manu principis animam puellæ requiret. Quod ad Nos attinet in Domino confidimus, Nos cohortando, monendo, obsecrando apostolatus Nostrum partes explevisse, et animam Nostram liberasse. Verum in iis, quæ ad sublimem Ecclesiæ divinamque pertinent potestatem, et quæ præsertim ad æternam animarum salutem spectant, non sinit omni spe Nos destitui egregii

Comemorat exemplum aliud huic simile in ditione Ducis Mutinensis, de quo querelas extollerat.

Hortatur magni Ducis confessarium, ut illius religionem in subjecta materia extollet.



principis in religionem devotissimus animus; imo vero non dubitamus, quin consiliis monitisque tuis permotus, S. matris Ecclesiae legibus et institutis sit denique obtemperaturus. Tibique, dilecte filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta Aprilis 1767. Pontificatus Nostri anno nono.

*Essent hic referendae litterae in forma Brevis, quas sub die 16 Aprilis hujus anni Clemens XIII. perscripsit Hispaniarum Regi catholico, ne sineret e suis Regnis Jesuitas expelli; quum vero datum nobis non fuerit earum Authographa in Archivis Vaticanis adinvenire ubi fortasse praetoratorum temporum injuria vel deperditie, vel commixtae fuere, hinc easdem praeterire cogimur, in supplemento post finem Pontificatus allaturi si datum deinde erit illas invenire. Qui tamen litteras hasce cognoscere vel consulere cupiat adeat continuatorem Ecclesiasticae Historiae Bercastalii To n. XXXIII. pag. 194. edit. Venetae anni 1851 ubi in italicum sermonem conversae relatae sunt; prout etiam consulat adnotationes in vita hujus Pontificis edita Venetiis anno 1769. ex Typographia Ferrarini pag. 64., et tandem quamplures rerum Hispanorum scriptores.*

DLXXXVI.

Dat. die 18.  
Aprilis 1767.  
Ann. IX.

Poloniae Regem illustrem per has litteras vehementer hortatur, ut conatibus dissidentium fortiter obsistat.

Carissimo in Christo filio Nostro  
Stanislao Augusto Poloniae  
Regi illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili Noster  
salutem, et Apostolicam benedictionem.

P. N. Regis,  
totiusque Na-  
tionis laudes.

§. 1. **U**bi primum regiam majestatem tuam Polonicum Regnum adeptum esse intelleximus, quantopere tibi tuisque studuerimus rebus, arbitratur abunde satis tibi perspectum. Et Nobis quidem ab eo tempore tua dignitas cara fuit majorem in modum et amplitudo: te enim existimavimus catholicae Religionis futurum honorem et ornamentum. Nec nostra Nos fefellit opinio. Nam in novissimis comitiis ipse aequae ac inclita ista Natio luculentissimis comprobatis indiciis egregium vestrum erga catholicam Ecclesiam studium, firmissimamque in vera Religione constantiam. Et in ea quidem re, vestra omnis agendi ratio apud omnes, quotquot sunt catholici nominis maximam vobis pep-

*Bull. Rom. Tom. III.*

rit gloriam, et incredibili Nos gaudio complevit.

§. 2. Vera omnes ejecit ex animo Nostro laetitia, quam rei catholicae apud vos audivimus parari perniciem, et nova nos terrent, quae vobis conflantur pericula ad perturbandam florentissimi Regni, Nobisque carissimi, tranquillitatem. Quamobrem ad misericordiarum patrem et totius consolationis Deum confugimus, eumque in humilitate cordis nostri vivissimis precibus oramus et obtestamur, ne patiatur venire gentes in haereditatem suam, ejusque sanctum templum polluere. Dissidentes enim patrias sanctissimasque leges refugere, et cum vestrae reipublicae statu ipsam conantur evertere Religionem; sibi que potentissimorum Principum adscito patrocinio id maxime student, ut ex vera Religionis, quam Dei beneficio tam sancte colitis, detrimento privata sibi commoda et utilitates quaerant, nihil verentes privatarum rerum suarum studio ipsam matrem suam rempublicam prode, eamque funditus evertere. Et certe, si (quod Deus longissime prohibeat) consilia sua aliquando perficiant, omnia isthic videbimus plena odiorum et discordiarum, ut non amplius stare respública, nec nisi ejus eversionem expectare jubet divina illa Christi Domini vox = *Omne Regnum in se divisum desolabitur.* =

De dissidentium conatibus in Religionis, et Reipublicae detrimento sermonem habet, eumque explicat audeciam.

§. 3. Tu tamen, carissime in Christo fili Nostri, quae tua est egregia religio singularisque sapientia, fallacibus dissidentium rationibus, quas videri volunt ex communi petere utilitate, nunquam patiere te decipi. Esto enim ut ea nationibus exteris a catholica religione alienis adventitis homines, tibi subditorum numerum aliquantulum augeant, atque etiam plura commoda Regno allaturi prima fronte videantur; quantulae istae sunt utilitates, cum homines ejusmodi, sumtis aliquando viribus, et nimio potentiores facti, tranquillitatem reipublicae perturbaverint: Nos quidem minime existimamus, eos Principes, qui dissidentibus favent, duros unquam operam, ut emissa concordia, respública vestra denique concidat. Id suspicari Nos vetat eorum sapientia et justitiae amor et animi magnitudo; et enim probe sciunt non in eo positam esse suam gloriam ut innoxiiis gentibus leges imponant, sed illud sibi esse maximae laudi, si eorum opera in singulis quibusque nationibus sua cuique publica tranquillitas constet, atque securitas, leges vigeant seditiosi homines et novan-

Hunc Regem hortatur ad hoc, ut firmiter dissidentium conatibus resistat.

darum rerum cupidi coerceanur. Et quemadmodum vestra respublica finitimorum Regiorum jura ne cogitatione quidem audet infringere, ita nunquam egregii Principes patientur vestrae reipublicae jura ab ipsis ejusdem reipublicae civibus labefactari, atque perumpi.

Quam strictam redditurus sit rationem pro animis subditorum huic illustri Regi pastoralis sollicitudine significat.

§. 4. Sed hæc tibi, carissime in Christo fili noster, ut temporalium rerum custodi et gubernatori consideranda relinquimus. Quod unice ad Nos attinet, illud est ut Jesu Christi Domini nostri verba illa in tui memoriam redigamus = *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Teque sedulo moneamus, quidquid catholica Religio ex animi tui, seu potius ministrorum tuorum mollitudine acceperit detrimenti, id omne æternum judicem vobis imputaturum, vosque, non vestrae modo, sed omnium istius gentis animarum rationem illi esse reddituros, cum eorum sanguinem de vestra requiret manu. Sed quæ adhuc regia majestas tua et inclita Polonorum orthodoxa natio edidistis catholice Religionis defendendæ constantissimi animi, exempla, cohortationem hanc nostram longius progredi vetant, eamque si paullo validius urgeremus, vehementer vereremur, ne tibi tuæque religioni injuriam facere videremur. Fortasse, quod agebat Moyses Israelitis = *tentat vos Dominus, ut palam fiat, an diligatis eum, an non in toto corde et in tota anima vestra. Dominum Deum sequimini et ipsum timeate, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis et ipsi adhærebitis* = Itaque, carissime in Christo fili Noster, ponito in Deo nostro spem tuam = *qui de tantis periculis nos eripuit et eripit, in quem speramus quoniam et adhuc eripiet* = neque enim abbreviata est manus Domini, et omnipotentis, quin omnia quæcumque voluerit, faciat. Atque ille quidem, cujus voluntatæ inclitæ istius gentis regendæ tibi delatam est manus, cum et facultatem tibi itidem dabat, ut eam bene sapienterque regere, et acceptam a gloriosissimis prædecessoribus tuis hæreditatem servare feliciter queas. Et regis majestati tuæ, quam in nostræ caritatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die decima octava Aprilis MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.*

DLXXXVII.

Dat. die 18.  
Aprilis 1767.  
Anno LX.

De eodem argumento agit cum Gnesnensi Archiepiscopo, cujus zelum contra dissidentium conatus provocat.

Venerabili fratri Stanislao  
Archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem

§. 1. Cum catholicæ Fidei videamus in die multiplicari pericula, attentiores usque nos facit instantia Nostra, quotidiana et sollicitudo omnium ecclesiarum, ne in vinea Domini ab inimico homine superseminentur zizania, quibus electa frumenti grana opprimantur. Itaque ut bonus pater familias, et prudens ad universæ Ecclesiæ custodiam vigilantes, Nostri esse muneris arbitramur VV. fratres Episcopos identidem appellare, ut de iis quæ sibi quisque eorum opus esse existimet artiores nos faciant, quo collatis opibus et consiliis zizania radicitus evellamus, quæ terram impediunt, quo minus temporibus suis fructum centuplum ferat.

Episcopos debere conjunctis viribus cum Romano Pontifice dominicæ vineæ custodiam habere.

§. 2. Quantam consolationem Nobis attulerit exitus comitiorum, quæ novissime habuit carissima Nostra Polonorum respublica, nemini judicamus esse perspectum magis, quam VV. Fratribus Episcopis, qui erga suam quisque gregem charitate flagrant, sentiunt quæ quantaque sit in oves sibi commissas vis pastoralis amoris et magnitudo. Quod enim fuit nostri animi gaudium, cum accepissemus tanta animorum consensione, tanta firmitudine atque constantia, omnes inclitæ nationis ordines ad catholicam Religionem in isto regno constabiliendam certatim omnia studia sua contulisse. Vidimus in ea re magna cum animi nostri lætitia, quanta sedulitate vigilantia, episcopali caritate et zelo Poloni Episcopi concreditum sibi gregem pascant, et paverint; et ovium laudavimus docilitatem, quæ pastorum tantummodo vocem audierunt, eisque ad salutaria pascua deducendos se permisserunt = *In filiis suis* (ait sapiens) *agnoscitur vir, et filius sapiens doctrina patres*. Quamobrem in humilitate cordis Nostri Deo gratulati sumus, quod vos fecerit dignos, qui gloriosissimum catholicæ Ecclesiæ testimonium perhibe-

Magnæ consolationi Pontificis animo fuere posteriora Polonici regni comitia, quibus Religionis honore consultum fuit.

reitis = *ut fides vestra nunc annuncietur in universo mundo* =

Sed dissidentium novi conatus Pontificiam excitant sollicitudinem, ut adjuvatores Episcopos habeat, et defensores.

§. 3. Sed inscrutabili iudicio suo Deus noluit eam lætitiã nobis esse perpetuam. Incredibilis enim molestia nostrum animum cepit, cum accepimus Religioni strui novas insidias, sollicitari vos, ut animo sitis in posterum flexibiliore, novis periculis statum reipublicæ vestræ circumsideri, parum firmam esse tranquillitatem ejus et pacem; agitari denique consilia, ut patriæ sanctissimæque leges convellantur. Quæ omnia nos habent vehementer sollicitos: et quæ nunc vestram rempublicam premunt participes ærumnarum, dolemus maxime in tantum adduci periculum Polonici regni statum et formam, cum qua ipsius catholicæ religionis incolumitas conjuncta est et integritas. Sed tamen animo minime despondemus; Nosque consolatur beatissimi Apostoli exemplum, qui in adversis ipse se ita sustinebat = *Tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deijcitur sed non perimus* = Adeamus igitur tuque et ceteri in inclito isto Regno VV. fratres cum fiducia = *ad thronum gratiæ, Deum inclamemus, qui potens est salvare vel in paucis, et omnem sollicitudinem nostram projiciamus in eum, quoniam ipsi cura est de nobis* = Omnis enim causa hæc Dei est, cujus propterea ipse Deus erit defensor et vindex. Et magna quidem Nobis spes est futurum, ut hæc tentatio vestræ in tuenda Religione constantiæ et firmitudini maximam pariat gloriam.

Gnesnensem Archiepiscopum obsecrat, ut pro sua dignitate ceterorum Episcoporum excitet zelum.

§. 4. Te vero; Ven. frater, cujus excelsa dignitas magnam in isto regno fraternitati tuæ tribuit auctoritatem obsecramus, ut Coepiscoporum excites nunc maxime zelum atque pietatem; quo flagrantissimis orationibus quisque suis a Deo sibi viam precentur, et in verbo virtutem, ut greges suos confirmare possint in doctrina sana, eosque ad veram excitent, penitentiam, qua Dei iram et indignationem ab isto regno avertant. Illud autem in primis vos maxime admonemus atque rogamus, ut observe-  
tis eos qui dissentiones et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt = Et quos oportet interea arguere, obsecrari, increpare, in omni patientia et doctrina = Hæc sunt pastorum partes præcipuæ, quas si impleverint, et grex eorum salutaribus vocibus se morigerum præbent, nihil a misericordia Domini nobis non pollice-

mur, cujus longanimitatem salutem denique arbitrabimur. Et fraternitati tuæ, et universis istius regni V.V. FF. Episcopis, et orthodoxæ Polonorum genti ob egregiam Religionem et fidem gloriosissimæ et inclitæ, intimo Nostri paterni cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima octava Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXVIII.

Dat. die 21.  
Aprilis 1767.  
Anno IX.

Tarraconensem Archiepiscopum hortatur, ut catholicum Regem e proposito removeat extinguendi societatem Jesu in universis Hispanicis regnis

Venerabili fratri Joanni Archiepiscopo Tarraconensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Gravissimo et plane inopinato nuncio sumus perculsi, carissimum in Christo filium nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum, de pellendis clericis regularibus soc. Jesu ex omnibus ditionis suæ regnis cepisse consilium. Cumque prudentissimi Principes sapientiam æque ac justitiam pietatemque perspectam habeamus, illud admiramus vehementer, tam subitam eorundem clericorum regularium factam esse mutationem, ut quos superiore anno quamplurimi Hispaniarum Episcopi Nobis commendarunt, ut viros pietate et doctrina præstantes, et ad procurandam animarum salutem magno opere utiles, eosdem nunc, ictu fere oculi, ita mores suos demutasse, ut ex Hispaniensi omni ditione tanquam purgamenta ejici mereantur. Et magnam illos erga Regem commeruisse culpam oportet, et ab eadem culpa credendum est eorum abesse neminem, cum justitiæ studiosissimus princeps omnibus, nemine excepto, gravissimam irroget penam, et omnes exterres regno suo pulsos velit. Sed omnes iis criminibus esse affines quibus commota est optimi principis indignatio, haud ita credibile est. Illud potius quis existimet quosdam in-

Suam Archiepiscopo admirationem exprimit pro concepto consilio ejektions Jesuitarum ex Hispanicis regnis.

ter eos clericos regulares fuisse, qui principem adeo graviter læserint, ut ille ad omnem regularem eorum ordinem non veritus sit animadversionem porrigere.

Archiepiscopus obsecrat ut catholico Regi consilio sit ad illum e proposito removendum.

§. 2. Quamobrem, ven. frater, pietatem tuam et Dei zelum, tuam in regem fidelitatem, tuam sapientiam requirimus, ut quibuscumque tibi licuerit modis insinuari facias prudentissimo principi, non ita esse utile, si quæ domus aliqua sui parte vitium fecerit, eam totam diruere, sed longe præstabilius eam partem resarcire, neque in aliquo corpore cujusque naturæ et conditionis, ex quo tamen aliquid capiatur utilitatis, si quidquam deprehendas minus laudabile, aut etiam omnino improbandum, idcirco esse funditus evertendum, neque amittendum quidquid in eo sit frugiferum, sed ea labe purgandum, quæ neglecta totum posset inficere, in aliorum etiam perniciem. Nos quidem paratissimo esse animo sancte profitemur ad ea corrigenda, que in societatem Jesu Rex irrepsisse deprehenderit improbanda, nec quidquam aggredi Nos recusaturos, ut ad pium institutum suum universa societas revoce- tur. Neque enim Nobis tantopere cordi esse debet, quam ut religiosorum corpus, unde prodeunt operariis ad regnum Christi apud barbaras nationes proferendum, et ad christianam Fidem veramque pietatem, ubi jam propagata fuit, retinendam excolemamque ab omni labe revera sit parum, omnique sanctitate præditum esse perhibeatur. Atque id ipsum est, quo potissimum spectare debet religiosa piissimi principis circumspectio, ne, si societas Jesu in Hispaniis intreat, christiana Religio apud barbaras nationes itidem pereat, præsertim in iis locis, ubi soli e societate Jesu apostolicam missionem gerunt.

Illudque præ cæteris eidem ostendit, Hispaniarum Regem strictam Deo rationem esse reddituram de Religionis detrimento.

§. 3. Cæterum regem in hacre illam ingredi viam, ut de innumeris animabus eorumque æterno exitio rationem apud judicem vivorum et mortuorum reddere debeat, id vero est, quod si ejus pietati maturius considerandum proponatur, pro certo habemus, principem, si quisquam alius, Religionis studio flagrantem timentemque Dei judicium, numquam passurum, ut e regnis suis societas Jesu tantum cum Religionis christianæ detrimento eliminetur. Hæc et alia plura, quæ tua tibi, ven. frater, prudentia suggeret, facito quæsumus, ut ad catholici Regis considerationem quoquo modo perveniam. Non existimamus longiorem nobis adhibendam esse orationem ut intelligas fraternitas tua, quæ

et quanta res hic agatur. Profecto quidquid ad conservandam soc. Jesu in Hispaniis contuleris, existimato non minimam esse partem episcopalis tui ministerii cui satisfeceris. Et frateroitati tuæ intimo cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXI. Aprilis MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXIX.

Dat. die 21.  
Aprilis 1767.  
Ann. IX.

Catholici Regis confessario suas Pontifex querelas dirigit, pro Jesuitis omni Hispaniensi ditione pulsis.

*Videndæ etiam sunt superiores literæ Taraconensi Archiepiscopo hoc super argumento missæ.*

Dilecto filio religioso viro Joachino de Osma, Ordinis min. S. Francisci confessario Regis catholici.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili religiose vir salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Improvisum, et plane inopinatum Nobis accidit existimari Societatem Jesu in Hispania sic a pio instituto suo tam brevi tempore deseruisse, ut carissimus in Christo filius Noster Karolus rex catholicus omnes clericos regulares ejusdem Societatis ex omnibus suæ ditionis regionibus censeat exturbandos. Nec possumus ea res, cujusmodi sit, constituere. Nostram enim aegritudinem, quam ex Gallica ejusdem Societatis calamitate suscepimus, valde leniebant, acceptæ superiore anno a compluribus Hispanis Episcopis literæ, quibus intelleximus, eam Societatem omnibus apud vos florere virtutibus, et ex ejus piis laboribus eorumdem Episcoporum ecclesias magnas capere utilitates. Nunc ex improvise talis ad Nos allatus est nuncius, ut existimare debeamus, omnes, aut certe fere omnes, magnum aliquod admisisse facinus atque nefarium, at in omnes, quotquot apud vos Societatis profitentur Institutum, censuerit Rex justissimus animadverti oportere.

Admiratur Pontifex quod Jesuitæ tantis cumulati elogiis superiori anno, potuerint inopinato regiam indignationem incurrere.

§. 2. Sed corruptum esse corpus univ-  
ersum, haud facile credimus; nec ipsi

Quoties aliquis ex clericis istius quaestione di-

gnus censeatur, non aquum est ne universa puniatur Societas.

itidem Nobis persuadere possumus, si quæ labes in illum irreperit, nullum emendationi locum relinqui. Quod quidem potius faciendum esse, quam universam Societatem extingui, ipsa æquitas clamitat et prudentia. Neque enim æquum est, si qui inter clericos regulares Societatis Jesu gravissimam erga Regem commoverint culpam, omnès eadem pœna promiscue plecti; nec quod aliqua ex parte labefactari Societas cœperit, ideo oportet universam everti, et eas amitti utilitates, quas ex ea Ecclesiam capere diserte testati sunt complures ex primarijs Pastoribus; sed emendandam ubi est opus, existimamus, ea ipsa ratione, ut eosdem, quos superioribus temporibus tulit fructus, etiam in posterum possit Ecclesiæ progignere.

Regem hortatur confessarium, ut religioso Principi suggerat ea consilia, quibus animæ suæ prospicere possit.

§. 3. Hæc ad te, dilecte fili religiose vir, ideo scribimus, ut eadem optimo Principi, cui te in via Domini ducem præbes, et pro tuo ministerio, et nostro etiam nomine suggeras. Et Nos quidem quidvis facere non detrectamus; quo in eos, qui e Societate Jesu justam Regis iram commoverint, severissime animadvertatur, et cum eodem Rege paratissimo animo sumus, collatis consilijs, omnem operam dare, ut quæ spinæ in agro Societatis, olim mundissimo, germinaverint atque succreverint, radicitus evellantur. Ministerij vero tui est coram Jesu Christo crucifixo tremebunde considerare, idque Regi considerandum proponere ex hoc, quod ille videtur jam accepisse consilio, ad christianam Religionem quanta perventura sit clades, cum vinea Domini apud barbaras gentes tam multis gravissimisque laboribus constituta, pulsus agricolis, omnino silvescat necesse est. = *Itaque cogitato* = dilecte fili religiose vir „ *futurum illud* „ *tempus, cum manifestari nos omnes* „ *oportet ante tribunal Christi, qui constitutus iudex vivorum, et mortuorum* „ *ad dexteram Dei Patris super omnem principatum et dominationem* „ et omne nomen, quod dominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, innumeras animas de manu Regis, et Regis animam de manu tua requiret. Videte quæsumus, quid tu, quod in tanta Religionis clade, et infinitæ propemodum multitudinis animarum æterna perniciæ, si vel tacueris, vel tantummodo mussitaveris, quid ipse Rex, qui tale consilium cœperit, unde oritur tanta christianæ Religionis calamitas, summo iudici respondendum habeatis.

Pontifex intimo dolore percussus, Deo

§. 4. Testis Nobis est Deus, accepto tali atrocissimo nuncio, Nos consternato

prorsus animo esse, et lacrimis applevisse os Nostrum, considerantes summa Nostri cordis anxietate, quanto in æternæ salutis periculo versetur carissimus filius, quem propter emendatissimos mores et pietatem in Deum, et in Ecclesiam obsequium cæterasque virtutes Christiano Principe undequaque dignissimas, in ore oculis et in charitatis gerimus sinu. Illud etiam acerrime pupugit animum Nostrum, quod talibus religiosissimi Regis virtutibus plane confisi nunquam existimasset, Nobis inscijs et inconsultis, in re omnium gravissima, et quæ Nos omnium maxime tangit, id illum agere aggressum, cujus fieri non potest, quin, aliquando pœniteat cum consideraverit innumeras animas, quibus fulgere poterat lux Evangelij, pulsus veræ pietatis præconibus, in cæcis tenebris relictas esse sempiterno denique igne cruciandas. Denique illud Nos maxime discruciat tanto locorum intervallo Nos impediri, quominus cum carissimo filio possimus habere colloquium. Quam multa illi in hac re commonstraremus pericula pæstigiarum, quas perpetuus ille humani generis hostis Diabolus, pietati christianorum Principum conatur offundere. Interea Nos orationi quanta maxima contentione instabimus, et Dei misericordissimis oculis passionem Christi filii sui, quam his diebus recolimus; ostentantes, per ejusdem Christi Domini merita tibi zeli Dei vim, et ardorem vocemque virtutis, et Regi piam in te audiendo docilitatem impetrare conabimur. Tibique Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima prima Aprilis 1767. pontificatus Nostri anno nono.

preces porrigit, ut tanta avertatur arumna e catholicis Regnis.





Dat. die 27.  
Aprilis 1767.  
Anno IX.

DXC.

Allocutio consistorialis a SSmo Domino nostro Clemente PP. XIII. habita die xxvii. Aprilis MDCCLXVII, in qua proponuntur causæ canonizationis sex Beatorum

Venerabiles Fratres

Proœmium.

§. 1. Increbescuntibus in dies Ecclesiæ calamitatibus et ærumnis (1) levavimus ad Deum animam nostram et in eo fidentes, qui de (2) tantis periculis Nos eripuit et eruit, in quem speramus quoniam et adhuc eripiet, ad pascendum dominicum gregem eo intentioniores curas nostras adjicimus. quo graviores in Nos tribulationes videntur ingruere. Neque enim in tantis molestiis ad nostrum animum major pervenire unquam poterit consolatio, quam si fidelem populum misericors Deus per Apostolicum ministerium nostrum deducat (3) in semitam mandatorum suorum, cumque ambulare faciat in via (4) immaculata. Ad commonstrandas autem fidelibus vias Domini eosque segregandos ab iis, qui abeunt (5) in consilio impiorum, nihil existimamus accommodatius quam sanctorum virorum exempla proponere, qui accepto (6) Jesu Christo domino in ipso ambulaverunt radicati, et superædificati in ipso, et confirmati in fide, nec passi sunt decipi per philosophiam, ut ait apostolus, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Et quoniam exempla quo sunt recentiora, ita esse solent efficaciora, animum et studia nostra convertimus ad promovendas causas canonizationis beatorum Joannis Cantij, Josephi Calasantij, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini ab Asculo, et Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, ut eorum virtutes et præclara merita in excelso sanctuarii loco posita, luceant coram hominibus, et universæ Ecclesiæ præsidio æque sint, ac fidelibus irritamento ad Jesu Christi cultum firmiter retinendum ejusque strenue sectanda vestigia. Itaque de eorum rebus gestis, et de miraculis quibus clarificata est, quæ in illis

abundavit Jesu Christi gratia, prædecessorum nostrorum more expetimus ad Nos in præsentis consistorio referri.

§. 2. In B. Joanne Cantio, qui ut audistis, VV. Fratres, mortificationem (7) Jesu circumferens in corpore suo, ipse se exhibuit hostiam (8) viventem, sanctam Deo placentem, qui laboravit (9) in verbo et doctrina, absolutum percipere potuistis egregii sacerdotis exemplum. Placet ne igitur vobis, ut quem heroicis virtutibus præfulgentem omnipotens Deus miraculorum etiam gloria fecit illustrem, ad illius solemnem canonizationem more prædecessorum nostrorum rite procedamus? (*Sequitur relatio de B. Josepho Calasancio*).

§. 3. Venerabiles fratres, B. Josephi Calasantii virtutes plane heroicas fuisse oportuit: neque enim sine firmissima fide magna que spe futurorum honorum, et flagrantissima in Deum et proximum charitate tam multas, tamque graves injurias, contumelias et probra tantasque calamitates tam fortiter sustinere potuisset. Hominem sibi carum Deus ostendit, illustribus miraculorum signis et prophetiæ dono; ad cujus canonizationem placet ne vobis, ut juxta Apostolicæ sedis institutum solemni ritu deveniamus? (*sequitur relatio de B. Josepho a Cupertino*).

§. 4. Audistis, VV. fratres, institutum vitæ B. Josephi a Cupertino fuisse, cor defixum habere in cælis, quo suos affectus omnes transtulerat, ut vere usurpare potuisset illud apostoli: nostra autem conservatio (10) de in cælis est: Ex assidua et profundissima cælestium rerum contemplatione, mirabiles ac frequentes audistis extaticos motus, quibus in aere, sublimis placidissime tollebatur. Ad solemnem itidem canonizationem hujus beati viri tum heroicis virtutibus, tum miraculis, quibus ejus sanctitatem Deus comprobavit, maxime insignis, et in omni vitæ suæ cursu admirandi, placet ne vobis, ut juxta consuetam Apostolicæ sedis morem deveniamus? (*sequitur relatio de B. Hieronymo Æmiliani*).

§. 5. Inter heroicas virtutes, quas in animum B. Hieronymi Æmiliani divina indidit gratia, singularis, ut audistis, VV. fratres, eminet in proximum charitas, in exercendæ præsertim er-

Cardinalium  
vota requirit  
quoad canoniza-  
tionem B. Jo-  
annis Cantii.

Simile requirit  
votum quoad  
canonizationem  
B. Josephi  
Calasantii.

Idem de cano-  
nizatione B. Jo-  
sephi a Cuper-  
tino.

Idem de cano-  
nizatione B.  
Hieronymi Æ-  
miliani.

(1) Psalmo XXIV. 1.  
(2) II. Cor. I. 10.  
(3) Psal. CXVIII. 55.  
(4) Psal. C. 6.  
(5) Psal. I. 1.

(6) Coloss. II. 6, 7, 8.  
(7) II. Cor. IV. 10.  
(8) Rom. VII. 1.  
(9) I. Tim. V. 7.  
(10) Philipp. III. 2.

ga pueros orphanos et humana ope destitutos, Beatus vir omnia studia sua devovit. Quantopere Deus probaverit ejus vitæ genus, quod est amplexus, ut esset pauperi et orphano (1) adjutor, insignibus miraculorum indicis compositum est, quibus beatum virum illustrem fecit divina dignatio. Igitur placet ne vobis, ut ad illius solennem canonizationem rite procedamus? (*Sequitur relatio de B. Seraphino ab Asculo.*)

§. 6. Admirandam audistis, V. V. Fratres, B. Seraphini ab Asculo asperitatem vitæ, profundissimam humilitatem, altissimam paupertatem, majores omni thesauro divitiarum æstimantis improperium (2) Christi, ut SSmi viri Francisci, cujus amplexus est institutum, penitentiam, patientiam, cæterasque ejus virtutes in omni vita sua representaverit. Beati viri sanctitatem ut intellexistis luculenter Nobis Deus ostendit, cum miraculorum gloria, ac præcipue curationum gratia illum voluit præfulgere. Placet ne vobis, ut ad ejus itidem canonizationem prædecessorum nostrorum more solemniter procedamus? (*Sequitur relatio de B. Francisca Fremiot de Chantal.*)

§. 7. Quodcumque vitæ genus sequantur christianæ mulieres, omnibus B. Johanna Francisca Fremiot de Chantal singulare magna tam virtutum specimen præbet. Nam et in virginali statu quem præseptaverat, et ex patris voluntate viro nupta, et in viduitate, et perfectiores vitæ denique viam ingrediens egregia edidit suæ sanctitatis exempla. Heroicas ejus virtutes, ut audistis, V. V. fratres, mirabilium signorum testimoniis Deus comprobavit. Placet ne igitur vobis, ut ad ejus quoque canonizationem more prædecessorum nostrorum solemniter procedamus?

§. 8. Sententias vestras de his, quæ vos rogavimus V. V. fratres, libentissimo animo audivimus. Cum autem consistorialis aulæ advocati beatorum inter sanctos solemniter adscribendorum sanctitatem et miracula, accurata oratione, nobis debeant exponere, idcirco duo ad hanc rem indicenda sunt publica consistoria, quæ quo die haberi oportuerit, vos certiores fieri curabimus.

DXCI.

Dat. die 29.  
Aprilis 1767.  
Ann. IX.

Christianissimo Galliarum Regi, Regem Regnumque Poloniæ dissidentium turbis devotum immense commendat.

*De hac ipsa dissidentium materia ad sunt literæ supra relatæ sub Num. DLXXXVI., et DLVXXXVII. quæ consulendæ ad opportunitatem sunt.*

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi christianissimo.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili Noster salutem et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **E**a est de regia majestate tua, tuoque erga catholicam religionem studio quam semper habuimus, et habemus existimatio, ut ad te nunquam tanta cum fiducia impetrandi quod petimus accedamus, quam cum eidem Religioni, si alicubi periclitetur, præpotentem operam tuam imploramus. Paternus etiam erga te noster amor postulare videtur, ut veræque solidæ tuæ laudis cupidi, eas occasiones tibi commonstremus, quibus Ecclesiæ primogenitus filius pietatem, qua S. Matrem tuam complecteris gloriosorem facere queat et illustriorem. Novit regia majestas tua, populos omnes, quibus evangelij lumen affulsit, unum corpus conficere, catholicam nimirum Ecclesiam, cujus caput est Christus = *etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, ut beatissimus Paulus, sive Judæi sive gentiles, sive servi, sive liberi.*

Christianissimo Regis Religionem comendat.

§. 2. Quamobrem si quid patitur hujus corporis membrum, omnia membra compati oportet, ac propterea, carissime in Christo fili noster, catholicos in Polonia tuos in Christo fratres, ubi resciveris in maximas esse compulsos angustias, et catholicam Religionem, nisi quis illi suppetias ferat, in extremum adductam esse discrimen, non dubitamus te eorum ærumnis et angoribus vehementer esse commotum. Dissidentes enim nihil sibi reliqui fecerunt ad catholicam Fidem in eo regno labefactandam, sanctissimasque leges funditus convellendas ipsumque immutandum reipublicæ statum a quo rationes suas suspensas habet catholica ipsa Religio. Hanc qui tam gravibus conflictari malis intelligat, tuisque similis, carissime

In felicem Religionis statum in Polonia designat, et christianissimi Regis auxilium implorat.

(1) Psal. IX. 14.  
(2) Hebr. XI. 26.

Idem de Canonizatione B. Seraphini ab Asculo.

Idem de Canonizatione B. Francisca Fremiot de Chantal.

Auditis Cardinalium votis, Pontifex rem ad futura consistoria ablegat.

in Christo fili Noster, orthodoxæ fidei bene cupientem animum gerat, non recusaturum existimamus diligentiam omnem conferre ad tantam ærumam ab Ecclesiæ catholicæ cervicibus depellendam. Et eam quidem e periculo præsentissime eripere quis non fateatur regia majestate tua esse dignissimum? qui notus ad benefecendum omnibus populis, sapientiam, mentemque plenam consilii a Deo accepisti cum maximis opibus et potentia conjunctam. Quæ bona Deus, carissime in Christo fili Noster, ideo tibi dedit in primis ut Dei causam tuere, Christi augere studeas gloriam, et ab Ecclesia ejus sponsa tuisque matre amantissima auctoritate tua, omnibusque, omne genus adhibitis officiis et studiis quamlibet propulsandam cures injuriam, qua vero ratione id consequi possis tuum est judicare. Nos, que Nostræ solæ sunt partes, explevisse arbitramur cum cohortationibus Nostris alacritatem tibi addimus ad referendam ejusmodi gloriam, quæ propria videtur esse debere primogeniti Ecclesiæ filii, Deum precamur, ut cælestibus suis majestatem tuam in dies cumulet bonis tibiisque paterno animi nostri affectu, carissime in Christi filii Noster, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona Aprilis MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 30.  
Aprilis 1767.  
Anno LX.

## DXCII.

Toletano Archiepiscopo respondet, a quo nuncium acceperat de expulsionem clericorum societatis Jesu ab universis Hispanicis regnis

*Vide literas supra relatas sub num. DLXXXIX, et adnotationem in illis appositam.*

Dilecto filio Nostro Aloysio S. R. E.  
Præbiter Card. de Corduba  
Archiepiscopo Toletano

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili salutem  
et Apostolicam benedictionem.

Suam admirationem exprimit pro inopinata, mutatio-

§. 1. De repentina gravissimaque calamitate, quam in Hispanijs præter nostram opinionem modo acceperunt cle-

rici regulares soc. Jesu improvisus et inopinatus nuncius tamquam fulmen plane nos percussit. Qui enim potuissemus unquam existimare, societatem illam apud vos censi sic a pio Instituto suo descivisse, et usque adeo tanta esse labe corruptam, ut qui idem Institutum isthic profitebantur ex omnibus Hispaniæ dictionis regionibus omnes meruerint, ex improvise exturbari; quos tamen superiore anno quam plurimi Hispaniarum Episcopi Nos commendarunt tamquam viros doctrina et pietate præstantes, et iis præsertim florentes virtutibus, e quibus eorumdem Episcoporum ecclesiæ magnas capient utilitates.

§. Tu ipse, dilectissime fili Noster, iisdem literis tuis, quibus hanc societatis Jesu calamitatem nobis denunciasti, temperare tibi non potuisti quia eos apud nos collaudares; scribis enim in clericis regularibus soc. Jesu, qui in diocesi tua versabantur, nihil nisi adimplendi ea, quæ sunt eorum instituti satis ardens studium, te comperisse, flagrantemque zelum divini cultus, pioque labores ad procurandas fidelibus spirituales utilitates. Quibus gravissimis testimoniis cum credere debeamus, incredibile est quantopere doleamus cogitantes, quanta in posterum ad christianam Religionem perventura sit clades, cum Societate Jesu extinta, tantam hominum multitudinem in Hispania, tam multis necesse sit carere spiritualibus bonis, quæ ex piis talium operariorum laboribus percipiebat; tum apud barbaras gentes præsertim in iis locis, ubi soli e Societate Jesu missiones gerunt, christianam Religionem jam nunc habere possumus quodammodo deploratam. Complures alias mittimus causas, quæ nostrum animum confodiunt; sed hæc quæ adhuc persequuti sumus, omnium acerrime nos exeruciant; tuusque, dilecte fili Noster, acceptis literis nuncijs tantæ calamitatis, vulnus quod primo nuncio accepimus omnium quantum exasperatum est, et recruduit.

§. 3. Gratissima tamen nobis fuit tua isthac nobiscum agendi ratio, qui de tanta re, quæ nos maxime tangit et Apostolicam sedem, non passus es literas tuas a nobis desiderari. In quo quidem tuum in nos obsequium tuamque recognoscimus fidem. Reliquum est, ut homines de quorum virtutibus, piisque laboribus in excolenda vinea Domini, in extrema epistolæ ad nos tuæ particula luculentissimum adscripsisti pulcherimumque testimonium, tibi, quod tacimus, studiosissime commen-

ne rerum Jesuitarum in Hispaniis.

Archiepiscopi acceptas literas comemorat, quæ nuncium fuit de Jesuitarum expulsionem.

Eundem obsecrat Archiepiscopum, ut consulat sui gregis spirituali bono.

demus. Eos ubi res ita ferat, velimus quantum poteris adjuves. Cumque in tua Diœcesi multum fidelibus profuisse recognoveris, quidquid tu vicissim illi profueris, existimato non minimam esse partem episcopalis tui ministerij, cum satisfeceris. Tibique, dilecte fili Noster, intimo paterni cordis Nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die trigesima Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

## DXCIII.

Dat. die 30.  
Aprilis 1767.  
Anno IX.

Catholico regi comendat, regem, regnumque Poloniæ a dissidentium turbis divexatum.

*Vide literas relatas hic num. DXCI. et adnotationem in ea appositam.*

Carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum regi catholico.

Clemens Papa XIII.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

**G**ravissimus ad nos allatus est nuncius, Poloniam rempublicam postquam in novissimis comitiis illustre dedit flagrantissimi zeli tui erga Ecclesiam catholicam documentum, nunc maxime a dissidentibus premi et divexari, qui potentissimorum principum patrocinio abutentes, omni contentione conantur veram in illo regno fidem labefactare, et ipsum reipublicæ statum convellere. In hac tanta rerum Polonicarum perturbatione urget Nos apostolici muneris ratio, ut illic labenti propomodum religioni quoquomodo subveniamus et orthodoxæ gentis vicem miserantes a catholicis principibus operam illi imploremus. In quibus regia majestas tua cum adeo excelsum teneat locum, tibi maxime esse debet cordi, ut Christi regnum floreat ubique terrarum, religionem tuam requirimus, teque obtestamur in Domino, et obsecramus, ut quibus consiliis officiis et studiis inclitæ æque ac innoxie gentes calamitati succurrendum pro sapientia tua judicaveris, illi majestas tua suppetias veniat. Nihil autem ad munendam tibi viam, quæ ad æternam

*Bull. Rom. Tom. III.*

salutem ducit, præstabilius, gratoque erga Deum, animo tuo convenientius, quam si, quæ tibi oritur auctoritas ex tuis opibus et potentia, eam omnem ad sublevandos tuos in Christo fratres impendas pro gloria dimicantes ejusdem Christi Domini Jesu, a quo ipse accepisti regiam potestatem, et longissime latissimeque patens imperium, ut ejus in primis tueare atque etiam amplifices gloriam. Et regie majestati tuæ Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxxi. Aprilis MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno nono.

## DXCIV.

Dat. die 30.  
Aprilis 1767.  
Anno IX.

De eodem argumento agit cum electo Romanorum Imperatore.

*Vide literas superiores, et adnotationem in illis appositam.*

Carissimo in Christo filio Nostro Josepho, in Romanorum Imperatorem electo.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **D**e periculis quibus circumdatur in Poloniæ regno catholica Fides vehementer solliciti, cum nulla nobis sit militiæ illius gentis adjuvandæ copia, Cesaream Majestatem tuam, cujus est proprium catholicam tueri Ecclesiam nobis adeundam existimavimus, tuamque nunc intendimus excitare pietatem ad eam gentem sublevandam, ex hac qua nunc temporis premitur ærumna, sane gravissima. Non es nescius, carissime in Christo fili Noster, quæ dissidentes moliantur adversus catholicam Religionem, et quanta veræ pietati et incorrupto Dei cultu sit extimescenda pernicies, si quæ jamdiu conantur, quod Deus longe prohibeat, aliquando perfecerint. Neque enim contenti quod juxta patrias leges satis clementer et perhumaniter habeantur, eo nunc venerunt audaciæ, ut universæ Reipub. ipsi novas leges catholicis perniciosas conentur imponere, idque maxime contendunt a libera et orthodoxa Reipub. eadem commoda extorquere, quibus principes a romana Fide alie-

K k 2

ni in sua quisque ditione catholicos frui vetant. Ipsa vero iustitia clamitat, sua quemque exempla debere æquo animo pati. Sed illud spectare catholici principes potissimum debent, tuque, carissime in Christo fili Noster, in primis, ne si dissidentibus vires accesserint et potentia, ipsa res catholica labefactetur, et aliquando prope ad nihilum redigatur. Quamobrem qui summum in Christiana republica tenes locum, et catholice Ecclesie constitutus es custos et vindex, te oramus in Domino et obtestamur, ut omnia consilia studia et officia, omnemque conferas diligentiam ad gregem dominicum in eo regno ex hæresis prope faucibus, et ore liberandum. Profecto id a te ipsa tua dignitas postulat, ipsa etiam efflagitat animi tui magnitudo, cui nulla major tribui poterit laus, quam si inclite Nationi in ea re benefeceris. Sed illud longe maximum, quod cum de æterna proximorum salute sollicitus, veræ fidei te præstiteris custodem et assertorem, de æternæ itidem salutis tuæ spem tibi feceris firmiorem. Et majestati tuæ omni paterni cordis Nostri affectu Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxx. Aprilis MDCCLXVII pontificatus Nostri anno nono.

DXCV.

Gratulatur cum Episcopo Lingonensi, quod pastorem literam evulgaverit contra libertinos, et catholicæ Religionis contemptores.

Venerabili fratri Gilberto Ep. Lingonensi.

Clemens PP. XIII

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. **P**astoralem epistolam tuam ad populum Lingonensem, in qua strenue defensa, et collaudata est christiana Religio, libentissime accepimus. De qua epistola ad plurimas causas, quamobrem magnas a Nobis laudes retulisti, illud etiam accedit, quam te mirifice amemus, quod eam accomodate scripseris ad popularem intelligentiam. Quisquis illam e vulgo vel imperitissimus legerit, perfacile intelligit, nullum

datum esse bonum humano generi Dei concessu et munere, christiana Religione optabilius, nullumque præstantius; nec hominibus quemquam esse inimiciorem, quam qui tantum bonum illis concatur eripere. Teterrimam præterea philosophiæ, quam haud ita pridem flagitiosissimi homines extulerunt, horribilemque faciem commonstrans. His principiis positis, luce ipsa clarius ostendis, omnia omnium hominum tolli officia, omnia jura perfringi, sanctum maritalis conjugii nova et exitiali disciplina labefactari conjunctionem et fidem, non amplius in patrum potestate esse liberos, nullum esse patrum in liberos animum, nullam liberorum in parentes pietatem, nullam erga patriam charitatem, nullam fidelitatem in principem, omnibusque exclusis officiis, quæ sunt in natura hominis insita, quæque christiana Religio firmiora facit atque sanctiora, solaque sui cuique utilitate, tamquam agendi norma constituta, cives in latrones, qui sibi invicem parent insidias, humanamque societatem in nefarium latrocinium esse conversam. Ea quo tandem redit humanæ sapientiæ tumor, quem ut deprimeret Bñus Paulus scribebat ad Corinthios suos = *Si quis vultur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens: sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim comprehendam sapientes in astutia eorum:* = homo nimirum, B. ait Augustinus, cum per superbiam lapsus sit, idcirco Dominus humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus; Dei, stultitia liberamur: quemadmodum autem illa sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum, sic ista, quæ vocatur stultitia, sapientia est vincens diabolum.

§. 2. Quamobrem illa plane præclara, quibus epistolam tuam claudis de christiana humilitate, qua fideles in captivitatem redeunt suum intellectum in obsequium Christi, deque divina auctoritate catholicæ Ecclesie, unde quisquis recesserit, superbo privati sui iudicij spiritu, abreptum ad quosvis errorum scopulos necesse est eum allidere. Ceterum gratulamur tibi, ven. frater, quod scripto illo tuo, quo sacram æmularis eloquentia veterum Ecclesie patrum, Christo Jesu ejusque Religioni tam bonam operam dederis. Denique Deum enixa obsecratione precamur tibi ut prosperrimam tribuat valetudinem, teque adjutissime sospitem et incolumem servet, in rem istius Ecclesie, quæ ex iu-

Sua vota Pontifex exprimit pro diuturna tam ferventis Episcopi conservatione.

Dat. die 6.  
Maj 1767.  
Anno IX.

Pastoralem epistolam commendat, et doctrinas in ipsa explicatas.



corrupta doctrina tua, tuæque vitæ exemplo percipiat necesse est in sui sanctificationem uberrimos fructus. Et fraternitati tuæ, quam in nostræ charitatis gerimus sinu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vi. Maij MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

## DXCVI.

Acta consistorialia quoad canonizationem BB. Johannis Cantii, Josephi Calasactii, et Josephi a Cupertino, in quibus, nomine Sanctitatis suæ Cardinales coadunati, sic alloquantur.

*De hac ipsa canonizatione videnda sunt acta consistorialia jam a nobis relata sub num. DXC. superiori pag.*

Die Jovis vii. Maji MDCCLXVII. Romæ in palatio apostolico quirinali, in aula regia fuit consistorium publicum super negotio canonizationis BB. Jo: Cantii, Josephi Calasactij, et Josephi a Cupertino, in quo orationes habuerunt domini advocati consistoriales de vita sanctitate et miraculis B. Johannes Cantij, Alexander Litta, B. Josephi Calasactij, Hieronymus Tozzius, B. Josephi a Cupertino, Philippus Duranus, quibus absolutis, Michael Angelus Archiepiscopus Chalcedonensis SSmi Patris nomine respondit in eum qui sequitur modum.

Enumerantur principum catholicorum, et ordinum religiosorum vota pro hisce sollicitandis canonizationibus.

§. 1. Quæ de illustri totius vitæ sanctitate, et miraculorum gloria beatorum Jo: Cantij, Josephi Calasactij, et Josephi a Cupertino satis diserte copioseque modo sunt explicata, pia præterea et efficax de B. Jo. Cantio in sanctorum numerum referendo, Poloniae regis, ac præsulum omniumque orthodoxæ illius reipublicæ postulatis, tam de Beatio Josepho Calasactio, et Josepho a Cupertino, inter sanctos itidem numerandis, humiles religiosorum ordinum, quibus in hac mortali vita nomen dederunt, supplicationes. Universæ denique in hac re catholicæ Ecclesiæ flagrantissima vota, maximam SSmo D. N. peperunt jucunditatem. Et summo quidem sacrarum rerum antistiti, qui dux in via Domini universo Christiano populo divinitus est constitutus, nihil gratius accidere potest, et optabilius,

quam in catholica Ecclesia multiplicare sanctitatis exempla, quo fideles tamquam in christianæ vitæ specimina respicientes, flagrantiori studio ad ea imitanda iucendantur. Propterea, quæ sit exempli vis agnoscere Bm̄us Paulus, meminisse præcipuit sanctorum virorum quorum inquit intuentes (1) exitum conversationis imitamini et fidem. Delectatus est etiam idem SSm̄us D. N. sollicitari se tam ardentibus catholicorum regum et populorum studiis ad decernendos tribus his beatis viris SSrūm honores, quod eadem studia non aliunde animadvertit proficisci, quam ex pia fidelis populi devotione et desiderio, ut beatorum gloria amplificetur in terris, quorum in cælo jam sibi præsidium et patrocinium adsciverit.

§. 2. Sed hujus rei tanta est magnitudo, et deliberationis gravitas, ut Bm̄us Pater existimet adhuc intentionem adhibendam esse curam et diligentiam, et, quod in semipublicis consistoriis propediem faciet, amplius sibi esse consultandum cum his vv. fratribus suis S.R.E. Cardinalibus nec non cum archiepiscopis, et episcopis, quid in tanta re fieri oporteat. Interea omnes et singulos hortatur, ut orationi vacent, elæmosynas faciant, jejunia celebrent, et per alia sua opera, quibus quisque potest, jejunium ipsum sanctificent, talibus enim hostiis (2) promeretur Deus; eumque exorent, ut de luce, quam inhabitat (3) inaccessibili, radium in eorum mentes demittat, qui qui sunt ministri (4) et dispensatores mysteriorum Dei, et quod semper fecit et faciet Ecclesiæ sanctæ suæ, quæ est columna (5) et firmamentum veritatis nunc maxime præsto sit; quo impetrato omnipotentissimo auxilio id solum a Sanctitate Sua decernatur, quod ad Dei honorem, et gloriam, ad incrementum Fidei, et ad catholicæ Ecclesiæ exaltationem pertineat. Hæc divertissimis orationibus dudum habitis jussit SSm̄us Pater suo nomine me respondere.

In qua gravissima re deliberanda, Pontifex in futuris habendis consistoriis, Cardinalium, et Episcoporum requirit consilia.

(1) Hebr. XIII. 7.  
 (2) Hebr. XIII. 16.  
 (3) I. Timoth. VI. 16.  
 (4) I. Timoth. IV. 1.  
 (5) II. Timoth. III. 15.

Dat. die 8.  
Maii 1707.  
Ann. IX.

DXCVII.

Utique clero Regni Navarræ indulgetur, ut officium, et missam sub ritu duplici minori S. Raimundi abatis Cisterciensis, et S. Veremundi abbatis Hirachensis celebrare possit, et valeat.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor  
decreti sacre  
congregationis  
Rituum pro  
petiti officii,  
et missæ celebra-  
tione.

§. 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum ad favorem venerabilium fratrum Archiepiscopi Cæsaraugustani, aliorumque episcoporum, nec non dilectorum filiorum trium statuum regni Navarræ, ecclesiastici nempe militaris, et universitatum decretum tenoris sequentis videlicet =  
» Supplicationibus humillime rñis Archiepiscopo Cæsaraugustano, aliisque  
» Episcopis, nec non DD. Paulo Fernandex Valcarcel abbate Hirachensi,  
» Marchione Sancti Hadriani, domino de Monteacuto, ac Josepho Xaverio de Gainza et Monzon nomine trium statuum regni Navarræ sacre rituum congregationi quatenus benigne dignaretur concedere, utrique clero præfati regni sub ritu duplici minoris extensionem officiorum cum missis Sancti Raymundi abbatis Cisterciensis regii monasterii Fiteriensis ac Sancti Veremundi abbatis regii monasterii Sanctæ Mariæ Hirachensis jam approbatorum, et concessorum monachis Benedictinis Vallisoletanis, ac Tarraconensibus regni Navarræ, monachisque Cisterciensibus, et fratribus reformatis ordinis SSmæ Trinitatis redemptionis captivorum, congregationis hispanicæ; sac. eadem congregatio ad relationem Eñi, et Rñi domini Cardinalis Ganganelli ponentis, petitam prædictorum officiorum cum missis, jam ad ritum breviarii Romani redactorum, extensionem oratoribus benigne concessit. Die xxiii. Augusti  
» MDCCLXVI.

Joseph M. Gard. Ferraris Præfect.  
V. Macedonius S. R. E. Secretar.

Loco Signi

Petito Pontifici porrecta pro supradicti decreti confirma-

§. 2. Cum autem sicut pro parte Archiepiscopi, Episcoporum, et statuum regni Navarræ prædictorum Nobis subin-

de expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi quo firmiter subsistat, et servetur exactius, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio commuiri plurimum desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illiqui iuvio- labilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes ipsius præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fere suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die octava Maii millesimo, septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

tione, et successiva prælaudati Pontificis confirmatio.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.



Dat. die 23.  
Majii 1767.  
Anno IX.

DXCVIII.

Liferæ processus in die Cænæ Domini

Quoad præsentium literarum publicationem superioribus annis factam vide Constit. eundem diei 28 Aprilis 1766 relata in hoc Tom. III. sub numer. DXXXIII. pag. 178. et adnotationem in ea appositam.

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Pastoralis romani Pontificis vigilantia, et sollicitudo (omittitur tenor harum literarum jam relatus in locis citatis in superiori adnotatione, quum omnino similis sit præsentibus)

DXCIX.

Alloquutio habita in Consistorio semipublico diei 1. Junii 1767, qua proponitur Emis Cardinalibus, et Rmis Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis canonizatio BB. Jo. Cantii et Josephi Calasantii.

Consule hac super re acta consistorialia hoc eodem Tom. III. relata sub Num. DXC, et DXCVI.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres

§. 1. Deliberantibus Nobis de tribuendo cultu beatis Johanni Cantio et Josepho Calasancio versatur ante oculos summa rei gravitas et magnitudo, ad quam denique expediendam, diligens quantumvis et accurata, nulla unquam cense-re debet supervacua consideratio. Itaque ad circumspectissimum judicium ne quidquam a Nobis defuisse videatur, ab hoc sacro consensu, qui veterum conciliorum Nobis exhibet speciem, prædecessorum nostrorum more consilium petimus. Et de beato quidem Jo. Cantio audistis jam in publico consistorio, quæ illius fuit totius vitæ innocentia et morum integritas, quam demissa sui æstimatio, qui catholicæ fidei zelus, quam heroicæ quæ inter virtutes primum obtinent locum quam denique mirabilibus

Expositis in compendium utriusque personarum virtutibus, singulorum ad Consistorium vocatorum votum exquirat.

signis illius sanctitatem Deus comprobaverit. Quæ omnia etiam ex compendio ejus vitæ, quod exprobatissimis actis accurate compositum, singulis vestrum tradi jussimus intelligere potuistis. Hujus simile compendium et ea etiam quæ in eodem publico consistorio de beato Josepho Calasancio narrabantur abunde vobis præbuere notitiam de summo ejus erga Deum amore, et in proximum charitate, quam regulari etiam instituto cœtu Ecclesiæ satis utili atque frugifero declaravit; de invicta patientia in calamitatibus, et innumeris angoribus sustinendis, quos non nisi spe nixus futurorum præmiorum tollerare potuisset; de insignibus denique virtutibus, quas illi divina indidit gratia; et de miraculorum gloria, qua in Ecclesia sua Deus esse voluit illustrem. Quamobrem unumquemque vestrum de sanctorum cultu et honoribus utriusque beato decernendis suas cujusque rogamus sententiam.

§. 2. Gratissima nobis accidit summa omnium vestrorum consensus, qua eo impellitur quo jam inclinabatur animus Noster de utroque B. Johanne Cantio, et Josepho Calasancio in sanctorum numerum referendis. Sed ferventior adhuc omnium nostrorum intendenda est ad Deum oratio, qui nos divina sua luce conlustret, cum de hac re gravissima et maxima sententiam nostram proferemus.

Favorabilibus suffragiis pro utraque canonizatione habitis, iterum ad orationem, impellit ut divinum lumen accedat.

DC.

Conceditur facultas congregationi oratorii S. Philippi Neri civitatis Guadalaxaræ promovendi alumnos ad sacros ordines, etiam presbyteratus, ad titulum missionis, et mensæ communis.

Venerabili fratri Episcopo Guadalaxaren.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Laureanus de Oliban presbyter sæcularis, et superior congregationis oratorii sancti Philippi Neri istius Guadalaxaren. civitatis, quod juxta ejusdem congregationis institutum, ac consuetudines illius presbyteri gravantur pluribus oneribus salutis animarum maxime accomodatis, concionan-

Describuntur incomoda derivantia ob tenuem numerum operariorum, et necessitas novos alumnos quotannis promovendi.

Dat. die 1.  
Junii 1767.  
Anno IX.

Dat. die 1.  
Junii 1767.  
Anno IX.

di scilicet, audiendi confessiones, administrandi sacramenta, ac infirmis auxilium, et assistentiam præstandi, que quidem onera longe graviora sunt in istis partibus Indiæ, in quibus ob deficientiam operatorum frequentior est prædicatio, ac major populi concursus ad recipienda sacramenta, ac præterea ejusdem congregationis presbyteri non solum coguntur spirituales opem præstare infirmis in dicta civitate degentibus, sed illis quoque qui moram habent ab illa dissita, ac noviter conversos ad fidem erudire teneantur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, congregationi hujusmodi septem tantummodo presbyteri adscripti sint, quorum tres per ætatem, atque adversam valetudinem a prædictis operibus vacare coguntur, reliqui quatuor ex presbyteris hujusmodi tantis, ac tam multiplicibus oneribus pares non sunt, ac minime sufficiunt, et proinde dictus Franciscus Laureanus ad augendam Dei gloriam, et ipsius instituti incrementum, animarumque salutem promovendam, facultatem admittendi singulis annis in memoratam congregationem reddituum copia præstantem sex, aut octo alumnos, qui ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum missionis, et mensæ communis promoveri possint si per Nos concedi plurimum desiderat.

Pontifex imploratam facultatem concedit sub aliquibus reservationibus.

§. 2. Nos ipsius Francisci Laureani votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, tot alumnos supradictæ congregationis idoneos tamen, et probatos, quot putaveris necessarios pro sacramentorum administratione, et pro exercitio instituti, ac intra vires reddituum ejusdem congregationis, titulo missionis, et mensæ communis congregationis præfatæ, servatis, cæteroquin servandis, ad sacros etiam presbyteratus ordines pro tuo arbitrio, et conscientia auctoritate Nostra apostolica, tenore præ-

sentium promovere possis, et valeas; Ita tamen, ut si iidem alumni discesserint, vel dimissi fuerint a dicta congregatione, suspensi remaneant, quatenus sufficienti beneficio, vel congruo patrimonio juxta taxam diocesanam provisi non fuerint.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac dictæ congregationis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima Junii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

DCI.

Dat. die 1<sup>o</sup> Junii 1767. Anno IX.

Fratribus Ordinis S. Francisci de observantia, qui Theologiam dogmaticam per decennium in studio publico Civitatis Pergulensis legerint indulget, ut iis privilegiis perfruantur, ac si publicis studiis sui ordinis legissent.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas, et homines oppidi civitatis nuncupatæ Pergulensis Eugubini Diocesis, quod ipsi, ut majorem progressum in literarum studiis promoverent, alias anno scilicet MDCCLXI. diversas humanarum literarum, et scientiarum cathedras erigi in publico studio curarunt, inter cæteras cathedram Theologiæ dogmaticæ,

Comunitas, et homines civitatis Pergulæ Pontifici supplices preces porrigunt, ut professoribus S. Theologiæ in eorum studio legentibus, aliquod privilegium indulgere dignaretur.

quam uni ex professoribus Theologiæ ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum committendam designarunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut electus pro tempore ad munus prædictum alacrius, ac diligentius in sacra Theologia exponenda operam suam impendat, communitas, et homines prædicti eum alicujus prærogativæ præmio decorari plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causâ latis, si quas forte incuterent, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito dilecto filio moderno dicti ordinis commissario generali, ut in posterum quotiescumque contigerit ad memoratam cathedram Theologiæ dogmaticæ eligi, atque assumi aliquem ex Theologiæ professoribus ejusdem ordinis minorum, qui tamen philosophiam per triennium in scholis ordinis præfati explicaverit, et postea in concursu generali per legitimam inclusivam ad cathedras generales theologicas approbatus fuerit, lecturam hujusmodi per decem consequentes annos in eodem studio habendam computari debere ad gradum jubilationis perinde ac si in studiis generalibus ordinis Theologiam per integrum dictum decennium docuisset, et lectorem hujusmodi inter lectores generales ordinis præfati referendum esse, eumque omnibus privilegiis, prærogativis, gratiis, et indultis, quibus ejusdem ordinis lectores generales juxta præscriptam constitutionum, statutorum, sive consuetudinum dicti ordinis, seu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere poterunt in futurum, pari modo uti, frui, et gaudere debere in omnibus, et per omnia perinde ac si lecturam hujusmodi in studiis publicis dicti ordinis exercuisse reperiretur, auctoritate nostra Apostolica tenores præsentium concedimus, et indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et

obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandoquaque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima Junii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DCII.

Confraternitati S. Syri, et Liberæ in civitate Veronæ cui Pontifex inscriptis reperiebatur, nonnullas indulgentias plenarias perpetuas concedit.

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis fecistis, jamdudum concessisse Nos ad septennium plenariam indulgentiam universis utriusque sexus christifidelibus, in utroque die festo S. Syri, et S. Liberæ, quam nunc demissis precibus postulatis, ut perpetuis futuris temporibus validam declaremus. Nos igitur, qui cum in minoribus essemus, vestræ confraternitati fuimus adscripti, ac propterea illam præcipua prosequimur benevolentia, devotæ petitioni vestræ benigne annuen-

L 1

Pontifex, sub nonnullis reservationibus, lectiones Theologiæ in studio publico civitatis Pergulæ decernit habendos esse non si in studiis generalibus ordinis facultatem ipsam legis-

Derogatio contrariorum.

Dat. die 15.  
Junii 1767.  
Anno IX.

Clausula subblata, et decretum irritans.



tes, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui in die festo S. Syri ut etiam in die festo, S. Liberæ, pariterque in secunda dominica Julii, in qua celebrantes in ecclesia vestra sub invocatione eorumdem Sanctorum erecta, festum S. Cajetani Thienæi clericorum regularium fundatoris, et ejusdem vestræ confraternitatis seu collegii olim confratris veræ pœnitentes et confessi, ac sacra comunione refecti memoratam ecclesiam confraternitatis vestræ S. Syri et S. Liberæ devotæ visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiam, heresum extyrpatione, et S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias Deo preces obtulerint, plenariam indulgentiam in perpetuum Apostolica auctoritate nostra concedimus per has literas perpetuis futuris temporibus valituris vobisque omnibus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimatertia Junii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 27  
Junii 1767.  
Ann. IX.

## DCIII.

Episcopo Burgensi facultates impertitur permittendi in locis Monasteriorum de Vindex, et Zagarramundi nullius diœcesis provinciæ Burgensis, artium exercitationis, et opera servilia, audita tamen missa in festis diebus, solemnioribus aliquibus tamen exceptis.

*Quoad plures alias diœceses festorum dierum reductionem indulxit Pontifex hic, peculiaribus in id datis Apostolicis literis, quorum postremæ sunt pro diœcesi Placentina relatæ hujus continuat. tom. II. sub n. CCCLXIX. pag. 396, ubi cæteræ Apostolicæ quæ præcessere constitutiones indicantur.*

## Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem,  
et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontifices nullo unquam tempore neglexerunt, quæ nec præceptis Evangelicis, nec SS Patrum decretis adversantur.

§. 1. Cum sicut quædam, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperare, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id no-

verimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum invenitur adversum. Ea propter Apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cæteris quin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariorum inopiam non sine conscientie angore contemnuntur.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte dilectorum filiorum Abbatis, et monachorum monasteriorum de Vindex, et Zagarramundi, ut asseritur, nullius diœcesis istius provinciæ Burgen. Nobis nuper expositum fuit, in locis monasterii hujusmodi, ut asseritur subjectis adeo excreverunt calamitates, et angustie propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt sæpe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se adicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excrementum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste sustentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis tua relatione, fraternitate tuæ, attento, quod dicta loca in ista provincia Burgen. existunt, per præsentem committimus, et mandamus, ut postquam certe constituerit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædictis locis existentibus,

Preces pariter pro reductione festorum dierum ex populi calamitate insinuata.

Pontifex precibus annuit, solemnioresque designat festos dies religiose servandos, firmo in festivitatibus suppressis onere audiendi missas.

et deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ; Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, nec non Corporis Christi, Ascensionis Domini, Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, ss. Apostolorum Petri, et Pauli, sancti Joseph, sancti Joachimi, sanctæ Annæ, sanctorum patronorum regni, ac sancti patroni cujuslibet loci, sancti Laurentii martyris, sancti Jacobi apostoli, et commemorationis omnium sanctorum, præterea quatuor dicatis beatæ Mariæ virginis, nempe Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis, ac propterea etiam Conceptionis, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra Apostolica, per te comutari volumus, præceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo conscientie scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra prædicta concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, præcipias, et mandas.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ditorum monasteriorum, et locorum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima Junii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DCIV.

Dat. die 18.  
Julii 1766.  
Anno IX.

Gonfalonerio, et Prioribus Terræ sanctæ Anatholiæ Camerinensis diœcesis conceditur indultum utendi in publicis functionibus toga, vulgo *Rubone*.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **P**aterna, quam de Nostris, et Apostolicæ Sedis in temporalibus subditis gerimus cura, et sollicitudo Nos urget, ut eorum votis quantum cum Domino possumus, benigne annuamus, illosque specialibus favoribus, et gratiis libenter prosequamur. Cum itaque inter cæteras status Nostri Camerinensis, et ditionis Nostræ ecclesiasticæ terras, illa de sancta Anatholia ob vetustatem insignis, ac constanti in Romanos Pontifices, et Sedem prædictam observantia floreat, ac senatum, seu magistratum, nempe gonfalonarium, et priores habeat, in quibus, in rebus publicis administrandis prudentia, integritasque enituit.

Laudat terram S. Anatholiæ insignem vetustate, et fidelitate erga S. Sedem.

§. 2. Nos, qui terram prædictam, illiusque senatum, seu magistratum, communitatemque, ac gonfalonarium, et priores hujusmodi, præmissorum meritorum intuitu, propensiori quodam benevolentie Nostræ complectimur affectu, dilectos etiam filios senatum, seu magistratum, ac gonfalonarium, et priores hujusmodi aliquo Apostolicæ beneficentie Nostræ munere donare, ac ampliori honoris prærogativa decorare cupientes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus magistratus, nempe gonfalonarius, et priores prædictæ terræ de sancta Anatholia præsentis, et futuri togam, quam rubonema appellant, in eorum functionibus, et actibus publicis gestare, ac deferre, illaque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus, eosque,

Precibus Magistratus annuens Pontifex illi usum indulget toge, vulgo *Rubone* in festivitibus, et actibus publicis.

Derogatio contrariorum.

et eorum quemlibet desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictæ terræ, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, eorumque reformationibus, et forsitan novis additionibus, ac stylis, usibus, legibusque etiam imperialibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima octava Julii millesimo septingentesimo sexagesimo sexta, Pontificatus Nostri anno nono.



DCV.

Dat. die 26.  
Octob. 1766.  
Ann. IX.

Præsul vicegerens Urbis iudex privativus in causis passivis neophitorum deputatur, et eorundem neophitorum privilegia confirmantur.

Andreas SS. Viti, et Modesti S. R. E. Diaconus Card. Nigronus SSm̄i D. N. Papa pro-auditor iudex commissarius, specialiter delegatus.

§. 1. Cum Sanctissimus Dominus noster Clemens divina providentia Papa XIII. supplicationibus universitatis, et nationis cathecumenorum, et neophitorum almæ Urbis benigne inclinatus, chirographum propria manu Sanctitatis Suxæ die 26. labentis Octobris mensis subsignatum, nobis pro executione in eo contentorum direxit tenoris sequentis videlicet =

Exponit expeditionem chirographi Pontificii.

Reverendissimo Cardinali Negroni nostro pro-uditore. Ci ha fatto rappresentare l'università, e nazione de' catecumeni, e neofiti di questa nostra città di Roma, che, siccome eglino furono in ogni tempo creduti degni di una special protezione della nostra sede apostolica, e di parecchie esenzioni, privilegi, e riguardi, così la fel. mem. di Paolo III. Nostro predecessore stimò conveniente, e forse necessario ancora, che avessero un cardinale Protettore, e insieme giudice privativo delle loro cause criminali, civili, e miste, come si legge nella di lui costituzione, illius qui, de' 19 Febraio 1542., confermata poscia, e ampliata da Paolo IV., da Pio IV., e da altri Nostri predecessori, i quali tutti per uno stesso giusto riflesso di promuovere i matrimonj delle neofite con i cristiani originarij comunicarono i privilegi de' catecumeni, e dei neofiti alli mariti delle neofite, e delle figlie di primo grado delli neofiti, ma che per altro non si conobbero bastantemente utili gli effetti della privativa del giudice dei neofiti, se non in vista degli altri effetti troppo diversi, che vennero su gl'interessi della pia casa de' catecumeni, e sopra tutti i neofiti, quando l'antica giurisdizione del loro, unitamente con quella di tutti gli altri reverendissimi Cardinali protettori de' luoghi pii di questa nostra città di Roma, restò soppressa, e abolita per i decreti della congregazione della riforma de' tribunali del 1692. approvati da Innocenzo XII. similmente nostro predecessore, abbenchè dopo alcun tempo il suo

Refertur tenor chirographi, et primo agitur de veteribus neophitorum privilegiis.

uditore monsignor Ansaldo spiegasse con un decreto dei 5 Giugno dell'anno 1697 che gli altri privilegi de' neofiti non erano stati compresi in quella riforma, mentre gl'istessi neofiti per lo più artisti, e ben poveri soffrirono allora maggiori ingiurie dalla nazione degli ebrei, ed esposti alle più lunghe contraddizioni, e vessazioni delli più ricchi, e potenti collitiganti, non riusciva sempre a ciascuno di assumere, e sostenere presso di tanti, e diversi giudici un'efficace difesa di quei privilegi avvengachè preservati, che così andavano di giorno in giorno a rimettere del loro vigore.

§. 2. Laonde Clemente XI. altro Nostro predecessore compassionando lo stato di questi novi germogli, per far conoscere la sua paterna pietà verso di detti luoghi pii fondati per la conversione degl'infedeli, e verso li catecumeni, e neofiti, senz'alterare la massima di non permettere l'esercizio della contenziosa giurisdizione al Cardinal protettore de' medesimi luoghi pii, con suo chirografo de' 21. Gennaio 1705. diretto a monsignor vicegerente d' allora, avocando a se tutte, e singole liti, e cause si civili, che criminali, e miste, attive, e passive di detta casa di catecumeni stessi, e neofiti, figli di primo grado de' medesimi catecumeni, e neofiti, e mariti di neofite, o figlie di primo grado de' neofiti, mosse, o rispettivamente da muoversi in avvenire da qualsivoglia persona, e contro qualsivoglia persona per qualunque causa in qualsivoglia tribunale avanti qualsisieno giudici ordinarj, delegati, ecclesiastici, e secolari, congregazioni, anche de' reverendissimi Cardinali, e generalmente avanti qualsisieno giudici, benchè privilegiati, e privilegiatissimi, e le medesime liti, e cause, tanto attive, quanto passive, anco già instrutte nello stato, e termine, nel quale allora si trovavano, et anco tutte le altre cause, che in avvenire, ed in qualsivoglia tempo si fossero introdotte, attive, e passive civili, criminali, e miste però, e contro detta casa di catecumeni, e luoghi pii annessi; catecumeni, e neofiti, e loro figli di primo grado, o mariti di neofite; oppur delle loro figliuole di primo grado in prima istanza, delegò potestà a monsignor vicegerente d'allora, e ad altri vicegerenti pro tempore per gli atti del notaro del nostro Rmo card. Vicario, o di altri notari da deputarsi sempre da deputati di detta casa de' catecumeni, privatamente ed ogni altro giudice, e tribunale, anche collegiale,

e magistrato, e notaro, con piena, ampia, libera, ed assoluta facoltà, et autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dipendenti, emergenti, annessi, connessi, ed anco colla clausola, quam et quas, conoscere, decidere, finire, e terminare, ancorchè si trattasse, o procedesse per vigore di obblighi cameralli, e giurati, e che le persone, che avessero interesse si attivamente, come passivamente in dette liti, e cause, fossero basiliche, chiese, cappelle, e religioni, monasteri, conventi, spedali, confraternite, e luoghi pii anco insigni, e quantosivoglia privilegiati, privilegiatissimi, ed ancorchè fossero pupilli, vedove, e minori, anche per causa di mercedi, alimenti, e doti, e qualsisieno altre persone, che avessero privilegi tali, che per comprenderli avessero bisogno di special menzione, e di poter nelle dette cause procedere in ogni giorno, et ora, non però feriata in onor di Dio, senza servazione di termini sostanziali, consezioni di estratti, e registri, ed ancora senza produzione d'istromenti, e scritture pubbliche, ma colle sole copie semplici, e indicazione di quelle;

§. 3. Ci hanno ancora fatto rappresentare, che trà gli altri privilegi, ed esenzioni godute da essi neofiti, vi è pur quella da tutte le leggi, e statuti delle università delle arti, e professioni, nelle quali essi travagliano, o si esercitano, e dal pagamento di qualunque tassa, patente, e contribuzioni, che altri pagano alle medesime università, loro chiese, e consolati, dalla custodia delle porte, e da altre funzioni civiche, e militari di Roma, in vigore ancora dei decreti della congregazione particolare dei 3. Maggio 1693. approvati dal sudetto nostro predecessore Innocenzo XII., e se presentemente non è permesso ai neofiti d'aprire nuove botteghe di barbiere, oltre il numero stabilito dallo statuto di quell'arte approvato per un chirografo di Clemente XII. nostro predecessore, accade questo soltanto in vigore di un simile chirografo segnato li 28. Giugno 1743. dall'altro nostro immediato predecessore Benedetto XIV., che per motivi, e ragioni, che non han luogo nelle altre arti, gli obbligò all'osservanza di tale statuto in quest' unica, e sola parte, preservando nel tempo stesso i detti neofiti, e quelli, che godono i privilegi de' neofiti dal pagamento delle tasse, e di ogni altra contribuzione, che per lo passato a motivo de' loro privilegi, o legittima con-

Clemens XI.  
singulas controversias Neophitos respicientes tam presentes, quam futuras jurisdictioni Vicegerentis ablegavit.

Neophiti artes exercentes ab statutis universitatum, et a solutione patentium eximantur.

suetudine non hanno pagato all'università de' barbieri per l'apertura delle botteghe; con averci di più soggiunto, che nella non breve serie de' giudicati, che ammettono, e canonizzano i privilegi dei neofiti, moltissimi ve ne sono, i quali rigettano le istanze in varj tempi promosse da varie università, e consolati per obbligarli al pagamento di queste tasse, e voi medesimo dopo un maturo esame nell'udienza de' 14. aprile 1761. providamente decideste contro l'università de' cascari = *Neophitos esse exemptos a dispositiones statutorum omnium universitatum Urbis, et signanter a solutione taxæ per dictas universitates indictæ*. = E che in parecchi decreti, e giudicati si vedono bensì obbligati i neofiti a sottomettersi all'esame per dar buon conto della sufficienza loro in quell'arte, che intendono di esercitare, ma però sempre senza obbligo di qualsivoglia anche piccolo pagamento di patente, o di altra qualunque tassa, lo che pur volle il prefato nostro immediato predecessore nell'accennato chirografo rispetto ai barbieri.

Pariterque eximiebantur a vectigalibus viarum quoad arrium exercitationes.

§. 4 In oltre ci han fatto rappresentare, esser stata provida, e pia intenzione de' Nostri predecessori di abilitare i neofiti a procacciarsi il vitto colla fatica, et industria loro senza il più piccolo aggravio, e che perciò essi neofiti furono esenti dalle tasse del tribunale delle strade per le botteghe, licenze, banchi, banchetti, e stuore, e che quantunque sia vero, che il Nostro predecessore Innocenzo XII. nella costituzione dell'anno 1692 emanata 4 Kalen. decembris, assoggettasse anche i neofiti ai chirografi, ordini, e tasse delle strade, e la già detta congregazione particolare deputata per il decreto dei 3. maggio 1693 super assertis privilegiis Neophitorum dichiarasse „quascumque „ immunitates, et privilegia eis in præteritum per summos Pontifices, et alios „ quoscumque quomodolibet concessa „ suffragari non posse, neque debere quo „ ad solutionem taxarum tribunali viarum = Ciò ad ogni modo s' intese solo delle tasse imposte sopra le case, vigne, e tenute, cioè di quelle, che per le strade si aggravano su i possessori de' beni stabili, o che s' impongono ai vetturini, e carrettieri, non già per le altre troppo diverse, che gravano i soli artisti, mercanti, e rivenditori di comestibili, e robe, le quali tutte ricadono sopra il travaglio, e sopra l'industria degl' istessi artisti, mercanti, e rivenditori, e però a scanso di ogni que-

stione una congregazione particolare deputata dal memorato Nostro predecessore Clemente XI. ai 28 Gennajo, e agli 8 febbrajo 1704 = *Inter alia, quæ approbante sanctissimo statuit, decrevit „ etiam posse neophitis, filiis primi „ gradus eorundem, maritis neophitarum, aut filiarum primi gradus eorundem concedi amplam, et plenam a taxis viarum exemptionem, „ quæ in Urbe solvi solent ab artificibus „ quotannis pro officinis, vel tabernis, „ in quibus vel res venales exponuntur, „ vel ars aliqua, quomodocumque nuncupetur, exercentur, ita ut in posterum personæ, ut supra nominatæ, libere, et licite artes, et mercaturas in dictis, tabernis, et officinis exercere valeant, et sine ulla solutione taxarum viarum, non obstante constitutione sac. mem. Innocentii XII. „ 4 kalend. decembris anno Incarnationis „ nis 1692, quæ est constitutio XIV. „ inter impressas § Præterea in hærentes, addita tamen declaratione, quod „ dicta hæc exemptio comprehendat tantum dictas personas artem, et mercaturam exercentes, non autem rhedarios, similesque personas, qui rhedis bigis, seu quadrigis sibi victum „ quærunt, nec minus extendi possit „ ad taxas viarum, quæ solvuntur pro vineis, domibus, aliisque stabilibus, „ quæ dictæ personæ possiderent = In coerenza di che negl' istromenti degli appalti, che sogliono farsi dal tribunale delle strade, e fino in quello stipolato dell'anno 1760 fu pattuito il bonifico all'appaltatore = Per li neofiti esenti dal pagamento delle licenze, banchi, banchetti, foconi, e stuore a tenore dei decreti della congregazione particolare deputata dalla san. mem. di Clemente XI. li 28. gennajo, e 8 febbrajo 1704.*

§. 5 E similmente ci esposero, che oltre i sudetti, e altri molti privilegi, e riguardi, furono anche osservati ai neofiti poveri quello delle dilazioni a pagare i debiti loro a un tanto al mese, o alla settimana, secondo le circostanze de' debitori, e de' casi: quello di non soffrire l'esecuzioni reali super pallio, et pileo; e quello pure di non portare il cappello verde, quando l'estrema miseria loro gli astrinse a ricorrere all'infelice beneficio della cessione de' beni, e di non essere convenuti come sospetti di fuga, ma che il lungo lasso di trentotto anni fece tal volta obbliare i motivi, che diedero eccitamento alla destinazione del sudetto giudice privato, onde la nuova congregazione pre-

Item aliis quamplurimis donabatur privilegiis quoad passivorum nominum solutiones.



scelta per la riforma de' tribunali del ricordato Nostro immediato predecessore Benedetto XIV. dell'anno 1742; e la di lui nota bolla de' 27 Febrajo 1742 nel generale suggerimento di richiamare alla pratica quanto era stato stabilito nel pontificato d'Innocenzo XII. abolendo indistintamente qualunque giudice particolare posteriormente deputato, comprese anche il giudice de' neofiti; benchè per altro lo stesso Nostro predecessore con suo rescritto de' 26 settembre dello stesso anno 1642 dichiarò espressamente = Privilegia, quibus » gaudebant, et gaudent neophiti, non » esse comprehensa in abrogatione eorum » judicis privativi facta in nuperima » constitutione super reformatione » tribunalium, sed illa esse servanda » a quocumque iudice prout antea servari » legitime solebant = tal che tutti gli altri privilegi, alla riserva di quello d' avere il giudice privativo, vennero quindi posteriormente osservati, e mantenuti ai neofiti dagli altri giudici della nostra curia di Roma, e taluni ancora da voi medesimo come Nostro pro-Uditore, allorchè questi sono stati difesi da qualche neofito men povero, e solamente si cominciarono a porre in dubbio rispetto a que' miserabili, e meno instrutti, che s' incontrarono in più potenti avversari; ne ebbero modo di sostenerli con sufficiente difesa, cosa, che al certo non accadeva a' neofiti, allora quando le loro liti, che, in quanto, massime all' ispezione de' privilegi della nazione vertono sempre sù le medesime quistioni; si conoscevano da un solo giudice, il quale appieno informato de' privilegi medesimi suppliva colle sue proprie cognizioni alla mancanza della difesa, e forse ancora non dava luogo alle dispute da lui più volte decise, dal che n'è poscia venuto, e ne viene, che molti tornano a dubitare della sussistenza di tali privilegi, e i neofiti, e tutti gli altri, ai quali sono comuni le loro esenzioni, e prerogative, si adattano di malavoglia al pagamento delle tasse, e contribuzioni dovute alla loro università.

§. 6 Onde la chiesa, e casa de' catecumeni, e luoghi pii ad esse uniti, e tutto il ceto de' medesimi neofiti anno implorato la Nostra paterna clemenza, umilmente supplicandoci, acciò mossi dal nostro zelo per la religione ci degniamo in primo luogo di confermare generalmente tutti i privilegi, ed esenzioni concesse loro dalla pietà di tanti Nostri predecessori, o avvalorate dall'

osservanza massime giudiziale: in secondo luogo di restituire alla loro nazione l'istesso giudice privativo con le facultà ad esso date per il chirografo del Nostro predecessore Clemente XI. dei 21 gennajo 1705; in terzo luogo di dichiarare, che tutti i neofiti, figli di primo grado de' medesimi neofiti, e mariti di neofite, o di figlie di primo grado di neofiti siano soggetti, e obbligati all' osservanza degli editti, e statuti, che parlano de' neofiti, e in conseguenza tenuti alla frequenza dell' oratorio della nazione, e a corrispondere al medesimo oratorio, e rispettiva università le tasse e contribuzioni solite, e che in avvenire possono occorrere, abilitandoli tutti indistintamente al godimento, e partecipazione de' privilegi, ed esenzioni competenti ai veri neofiti.

§. 7. E Noi sull' esempio de' Nostri predecessori per far conoscere la paterna pietà, che abbiamo verso i detti luoghi pii fondati per la conversione degli infedeli, la quale è il primo istituto dell' apostolato, e verso i catecumeni, e neofiti, che sono venuti e in futuro verranno alla nostra santa fede, quali sono degni della nostra special protezione, ed assistenza, e desiderando promuovere tutt' i mezzi, acciò quanto a quelli, che già abbandonarono l' errore, de suscepto sanctæ fide proposito gaudium sit plenum, et exultatio, e quanto agli altri, che foris sunt, et adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium propèrandi desiderium excitetur, come disse il Nostro predecessore Clemente XI. nella sua costituzione, Propagandæ, siamo venuti in proposito di consolare gli esponenti, prendendo sopra le loro rappresentanza gli provvedimenti come in appresso. Avendo pertanto nel presente Nostro chirografo per espresso, e di parola registrato il tenore di tutte, e singole bolle, chirografi, decreti, e riforme tanto contrari, ed opposti, quanto conformi, e coerenti a questa nostra suprema determinazione, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria da esprimersi: di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema potestà stabiliamo, dichiariamo, e decretiamo.

§. 8. Primo, che per l'avvenire, ed in perpetuo il giudice delli neofiti, e della loro casa di ricevimento, chiesa, e università, e luoghi pii annessi, nelle cause civili passive mosse, e da muoversi sia monsignor Vicegerente pro tempore di questa Nostra città di Roma,

Pontifex precibus annuit, et singula confirmata privilegia designat.

Preces Pontifici porrectæ pro generica, et specifica privilegiorum confirmatione.

Prævia evocatione causarum neophitorum, casus jurisdictioni perpetuæ Vicegerentis submittit.

onde vogliamo, che avochiate a voi, siccome noi avochiamo tutte, e singole liti, e cause civili passive di detta casa de' catecumeni, e luoghi pii annessi, neofiti, e catecumeni, ed altri, ai quali, come appresso, dovranno esser comuni i privilegi dei neofiti, mosse, e rispettivamente da muoversi in avvenire da qualsivoglia persona per qualunque causa in qualsivoglia tribunale, e avanti qualsivoglia giudice ordinario, delegato, ecclesiastico, e scolare, congregazioni, anche de' reverendissimi Cardinali, e generalmente avanti qualsivoglia giudice, benchè privilegiati, e privilegiatissimi, e le medesime liti, e cause passive, e anco già istruite, nello stato, e termine, nel quale si trovano al presente, ed anche tutte le altre cause, che in avvenire, e in qualsivoglia tempo s'introdurranno contro detta casa de' catecumeni, e luoghi pii annessi, catecumeni, e neofiti, ed altri, ai quali devono esser comuni i privilegi dei neofiti, e catecumeni in prima istanza le commettiate, e rispettivamente le rimettiate, conforme Noi le commettiamo, e rimettiamo al nostro vicegerente di Roma, ed altri vicegerenti, che saranno pro tempore per gli atti d'uno de' notari del nostro reverendissimo Cardinal Vicario di Roma, da scegliersi sempre dai guardiani dell' università dei neofiti, privatamente ad ogni altro giudice, e tribunale, anche collegiale, e magistrato, e notaro, con piena, ampla, libera, e assoluta facoltà, ed autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dependenti, emergenti, annessi, e connessi, ed anco con la clausola *quam et quas*, conoscere, decidere, e terminare, ancorchè si trattasse, e procedesse in vigore di obblighi camerari, e giurati, e gli attori fossero basiliche, chiese, cappelle, e religioni, comende, e monasterj, conventi, spedali, confraternite, e luoghi pii, anco insigni, e quantosivoglia privilegiati, privilegiatissimi, e ancorchè fossero pupilli, vedove, minori, anche per causa di mercedi, alimenti, e doti, e qualsivoglia altre persone, che avessero privilegiati, che per comprenderli avessero bisogno di special menzione, rimossa ogni qualunque appellazione, e ricorso, fuori che a voi, o altro uditore Nostro, e de' Nostri successori pro tempore, tanto nella seconda, che in altre istanze, anco per capo di restituzione in integrum e non ad altro tribunale, benchè supremo, dando perciò al detto monsignor vicegerente, e suoi successori pie-

na, ed ampla facoltà, ed autorità di riassumere le cause, e liti sudette da qualunque giudice, o tribunale come sopra, e a quelli inibirle sotto le pene, e censure a vostro arbitrio, che non ardischino porvi le mani, ne ingerirvisi in modo alcuno.

§. 9. Secondo, vogliamo che i neofiti non possino essere ammessi all'esercizio di qualunque arte, e professione, se non saranno prima stati esaminati, ed approvati capaci, ed abili, come prescrivono i statuti delle rispettive università, ma nel caso, che per parte dei medesimi neofiti, o di altri, che godono, e goderanno dei privilegi dei neofiti, venisse allegato qualche aggravio ricevuto prima, o dopo l'esame, o nell'esame medesimo, possino ricorrere a voi ed ai vostri successori per qualunque provvedimento, e voi allora dovrete, siccome i vostri successori dovranno, deputare altro perito indifferente, che riconosca la capacità di quel tale ricorrente; ammettendolo a nuovo esperimento, e dalla relazione, e giudizio di questo perito non sia lecito ad alcuna delle parti di reclamare.

§. 10. Terzo, che i neofiti sianó esenti da qualsivoglia tasse, contribuzioni, ed altri pagamenti prescritti dai statuti delle arti, e professioni, conforme dai pesi, e officj, che ordinano essi statuti, e che le patenti, che sogliono spedirsi prima dell'esercizio delle arti, si diano loro gratis, e senza il menomo pagamento sotto qualsivoglia pretesto.

§. 11. Quarto, che nelle botteghe, e officine da aprirsi, ed esercitarsi debbano essi neofiti ad ogni modo osservare le distanze prescritte in tutto, e per tutto come gli altri le osservano, e sono tenuti di osservare.

§. 12. Quinto, che siano immuni dal pagamento delle tasse, e licenze del tribunale delle strade con quell'ampiezza, e rispettiva limitazione di esenzione, che restò già dichiarata ne' surriferiti decreti della congregazione particolare deputata dal Nostro predecessore Clemente XI. sotto li 28 Gennajo e 8 febbrajo 1704.

§. 13. Sesto, che i medesimi neofiti sieno in tutto soggetti alle leggi, e statuti fatti per li neofiti, e della loro chiesa, ed università.

§. 14. Settimo, che quanto si è detto, e stabilito di sopra, e si dirà, e stabilirà da Noi in appresso relativamente ai neofiti, così rispetto al godimento de' privilegi, esenzioni, e altre prerogative, come rispetto alla sogge-

Regula traduntur pro admissione Neophitorum ad artium exercitacionem.

Eximuntur a taxis pro artium exercitio.

De distantis servandis quoad eorum apothecas.

A taxis viarum immunes declarantur.

Statutis pro neophitis conditis subiciuntur.

zione alle loro leggi, e statuti, e della loro Chiesa, e università, s' intenda pur stabilito, e decretato per i figli dei neofiti del primo grado, e per i mariti delle neofite, e delle figlie di primo grado dei neofiti, di modo che siano tutti egualmente compresi sotto la presente Nostra disposizione, come se in ogni parte di essa si fosse fatta di loro espressa menzione.

§. 15. Ottavo, finalmente vogliamo che tutti gli altri privilegi delli neofiti finora non rievocati; e che sono in uso, restino fermi, e siano mantenuti, e osservati; e perciò, in esecuzione del presente nostro chirografo, ne pronuncierete qualunque decreto, concederete qualunque inibizione, e farete tutto altro, che pel totale adempimento, perpetua fermezza, e sussistenza di questa Nostra grazia stimerete in qualsisia modo essere spediente, e necessario; essendo così mente, e volontà Nostra espressa.

§. 16. Volendo, e decretando, che al presente Nostro chirografo, sebbene non esibito, o registrato in camera, e ne suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, nè di alcun'altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri qualunque pretesti, quantunque validi, e validissimi, e giuridichi anche di jus quesito, e pregiudizio del terzo, possa esser impugnato, moderato, o rievocato, ridotto ad *viam juris*, o concedersi contro di esso l'aperitione oris, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia giudice, e tribunale; benchè collegiale; congregazioni, anche de Rm̄i Cardinali; Camerlingo di S. Chiesa, Tesoriere, Rnota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario: dichiarando Noi sin d' adesso preventivamente nullo, irritato; ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, e scientemente, o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e disposizione del presente Nostro chirografo, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, sebbene non vi sieno state intese, o citate qualsivoglia persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, ecclesiastiche, e luoghi pii, che vi avessero, o pretendessero

*Bull. Rom. Tom. III.*

avervi qualunque interesse e che per comprenderle facesse bisogno di speciale, ed espressa menzione.

§. 17. Non ostanti le costituzioni d'Innoc. VIII., Giulio II., Gregorio XIII., Gregorio XIV., Innocenzo XII., e specialmente la citata costituzione della fel. mem. di Benedetto XIV. Nostro predecessore sopra la riforma de' tribunali di questa nostra città di Roma emanata nell'anno 1742. sotto li 27. Febrajo, ed altre costituzioni de' sommi pontefici sopra le facoltà di qualsivoglia giudici, e tribunali, la bolla di Pio IV. similmente nostro predecessore; de registrandis, la regola della nostra cancellaria, de *jure quesito* non tollendo, e qualsivoglia altre costituzioni, et ordinazioni apostoliche Nostre, de Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, e difetto, qualunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa sola volta, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente nostro chirografo, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico di monte cavallo questo dì 26. Ottobre 1766. Clemens PP. XIII.

» Volentes itaque injuncta Nobis ab  
» eodem Sanctissimo Domino Nostro Pa-  
» pa debite executioni demandare:  
» utendo facultatibus nobis in supra-  
» dicto chirographo tributis, ejusdem  
» Sanctissimi Domini Nostri Papæ no-  
» mine decernimus, declaramus, et con-  
» stituimus, ut infra: primum. Quod  
» in futurum, ac perpetuis futuris tem-  
» poribus neophitorum iudex, eorum-  
» que receptorie domus, ecclesie, et  
» universitatis, ac locorum piorum an-  
» nexorum in causis civilibus passivis  
» motis, et movendis, sit illustrissimus,  
» et reverendissimus dominus altissimæ Ur-  
» bis pro tempore Vicesgerens; quapro-  
» pter ad nos avocando omnes, et sin-  
» gulas lites, et causas civiles passivas  
» dictæ domus cathecumenorum, loco-  
» rum piorum annexorum, neophito-  
» rum, et cathecumenorum, aliorum-  
» que, quibus, ut infra, debent  
» esse communia neophitorum pri-  
» vilegia, motas, et respective mo-  
» vendas in posterum a quavis per-  
» sona pro quacunque causa in quo-  
» vis tribunali, et coram quocunque ju-

Derogatio con-  
trarium.

Singula alia  
privilegia spe-  
cialiter non re-  
vocata, confir-  
mat.

Clausula abla-  
ta, et decre-  
tum irritans.

Executio  
precedentis  
chirographi.

» dice ordinario, delegato, ecclesiasti-  
 » co, et sæculari, congregationibus,  
 » etiam eminentissimorum, et reveren-  
 » dissimorum DD. Cardinalium, et ge-  
 » neraliter coram quibuscumque judi-  
 » cibus, licet privilegiatis, et privile-  
 » giatissimis, easdemque lites, et cau-  
 » sas passivas, etiam si instructas in sta-  
 » tu, et terminis, in quibus de præ-  
 » senti reperiuntur, ac etiam omnes  
 » alias causas, quæ in futurum, et  
 » quandocumque forent introducendæ  
 » contra dictam domum cathecumeno-  
 » rum, et loca pia annexa, cathecu-  
 » menos, et neophitos, aliosque, qui-  
 » bus neophitorum, et cathecumeno-  
 » rum privilegia debent esse commu-  
 » nia, in prima instantia committimus,  
 » et respective remittimus prædicto R.  
 » P. D. Urbis Vicesgerenti, et aliis pro  
 » tempore RR. PP. DD. Vicesgerentibus  
 » per acta alterius ex notariis eminen-  
 » tissimi, et reverendissimi D. Cardi-  
 » nalis Vicarii, semper seligendi a cu-  
 » stodibus universitatis neophitorum,  
 » private ad alium quemcumque ju-  
 » dicem, et tribunal, etiam collegia-  
 » le, e magistratum, ac notarium, cum  
 » plena, ampla, libera, et absoluta fa-  
 » cultate, et auctoritate illas cum omni-  
 » bus earum incidentibus, dependenti-  
 » bus, emergentibus, annexis, et con-  
 » nexis, ac etiam cum clausula quam,  
 » et quas, cognoscendi, decidendi, et  
 » terminandi, etiam si ageretur, et ac-  
 » tio oriretur ex obligatione camerale  
 » juramento vallata, et actores essent  
 » basilicæ, ecclesie, cappellæ, et re-  
 » ligiones, commendæ, monasteria,  
 » conventus, hospitalia, confraternita-  
 » tes, et loca pia, etiam insignia, et  
 » quatumvis privilegiata, privilegiatis-  
 » sima, et quamvis essent pupilli, viduæ,  
 » minores, ac etiam causa mercedis  
 » alimentorum, et dotium, et essent  
 » quæcumque aliæ personæ habentes  
 » privilegia talia, quæ pro illis com-  
 » prehendendis, speciali nota indige-  
 » rent, remota omni, et quacumque  
 » appellatione, ac recursu, excepto ad  
 » Nos, et ad Nostros pro tempore suc-  
 » cessores, tum in secunda, tum in  
 » aliis instantiis, etiam per viam re-  
 » stitutionis in integrum, haud ad aliud  
 » tribunal licet supremum: tribuendo  
 » propterea dicto R. P. D. Vicesgerenti,  
 » ejusque successoribus plenam, et am-  
 » plam facultatem, et auctoritatem reas-  
 » sumendi causas, et lites prædictas a  
 » quovis judice, sive tribunali, ut su-  
 » pra, eisque inhibendi, ne sub pœ-  
 » nis, et censuris arbitrio nostro au-

» deant opponere manūs, minusque se  
 » in eis quoque modo ingerere. Secun-  
 » do: volumus, ut neophiti, priusquam  
 » alicujus artis exercitium assumant,  
 » subiici debeant examini ad formam  
 » exercendæ artis statutorum, ita ta-  
 » men ut in casu reprobationis facultas  
 » eis fit ad Nos, et Nostros successores  
 » provocandi pro deputatione non sus-  
 » pecti periti ad novum experimentum,  
 » cujus iudicio omnino standum erit. =  
 » 3. Quod neophiti a quibusque censi-  
 » bus, taxisque ab artium statutis præ-  
 » scriptis sint exempti, earumque ar-  
 » tium, ac universitatum onera, atque  
 » munera subire minime teneantur, eis-  
 » que solitæ litteræ patentales gratis  
 » concedantur = 4. Quod in tabernis,  
 » aut officiniis aperiendis, instituendis-  
 » que statutam distantiam, sicut cæte-  
 » ri servare tenentur, omnino servant. =  
 » 5. Quod sint immunes a taxis, et li-  
 » centiis, tribunalis viarum cum illa am-  
 » plitudine, et respectiva limitatione  
 » exemptionis, quæ fuit jam declarata  
 » in decretis congregationis particularis  
 » deputatæ a san. mem. Clemente Pa-  
 » pa XI. sub respective diebus 28. ja-  
 » nuarii, et 8. februarii 1704. = 6. Quod  
 » iidem neophiti legibus, statutisque  
 » editis pro neophitis, eorumque ec-  
 »lesia, et universitate in omnibus subii-  
 » ciantur = 7. Quod dictum est de neo-  
 » phitis, intelligas ut constitutum etiam  
 » pro neophitorum filiis primi gradus,  
 » et pro maritis neophitarum, filiarum-  
 » que primi gradus neophitarum = 8.  
 » demum: quod cætera neophitorum  
 » privilegia nondum revocata, usque re-  
 » cepta, firma habeantur: juxta in om-  
 » nibus, et per omnia ad formam, se-  
 » riem, ac tenorem memorati chiro-  
 » graphi: non obstantibus constitutio-  
 » nibus san. san. mem. mem. Innocen-  
 » tii VIII., Julii II., Gregorii XIII.,  
 » Gregorii XIV., Innocentii XII., et si-  
 » gnanter constitutione fel. record. Be-  
 » nedicti XIV. anno 1742. sub die 27.  
 » Februarii, super reformatione tribuna-  
 » lium Urbis emanata, aliisque consti-  
 » tutionibus Summorum Pontificum su-  
 » per facultatibus quorumcumque judi-  
 » cum, et tribunalium, aliisque con-  
 » stitutionibus apostolicis, legibus, sta-  
 » tutis, et aliis, quibus idem Sanctis-  
 » simus Dominus Noster Papa in præin-  
 » serto chirographo derogavit. In quo-  
 » rum fidem &c. Datum Romæ ex Pa-  
 » latio Apostolico quirinali, et ex ædi-  
 » bus nostris hac die xxvii. Octobris  
 » MDCCLXVI.

*A. Card. Nigronus Pro-Auditor*